Thomas F. Torrance

IN

EPISTOLAM S. PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS,

ROBERTI ROLLOCI Scoti, Ecclesiæ Edinburgensis Ministri, Commentarius.

Altera Editio, cui accesserunt NOTÆ, quæ Epistolæ & Commentarij methodum per breuem quandam Synopsin ostendunt.



GENEVÆ,
Apud Iacobum Stœr,
M. DCVI.

ILLVSTRISSIMO POTENTISSIMOQVE *Principi, ac Domino suo, Iacobo Sexto, Scotorum Regi, Gratiam & pacem à Domino.*

QVÆ res me induxit vt scriberem hunc Commentarium, Rex illustrissime, eadem profectò me mouit vt inscriberē eum nomini tuo. Consciētia zeli mei erga Deum meum eiúsque gloriam, quam vnicam (quātum quidem per infirmitatem meā fieri potuit) habui ante oculos in toto hoc negotio: causa fuit, cur auderē ista in lucem edere, quæ tamen scirem perquàm mediocria. Ita enim putaui fore vt si aliqua argumenta huius mei animi exstarent in hoc Cōmentario, quę certè aliqua legenti sese offerēt inter multa alia quæ sunt, fateor, infirmitatis etiam nostræ nō obscura indicia: homines æquiori animo ferrent ea, quæ à me non

sunt ita doctè & disertè explicata. Ea
dem, mihi crede, Rex illusttissime, con
scientia amoris fidelis serui erga Princi
pem, ac Dominum suū, effecit vt aude
rem dicare ista tuæ Maiestati, quæ ta
men intelligerem indigna tanto patro
cinio: hac enim fretus cōscientia persu
si mihi fore, vt, si aliquo indicio cōsta
ret de meo erga Maiestatē tuam studio
reuerentissimo, grata sint etiam aliquo
modo ea, quæ à studioso ac fideli seruo
profecta sunt. Accipe igitur, Rex illu
strissime, non tam cōmentarium istum
quàm aliquā significationem officij il-
lius humillimi, quod à me Principi meo
debetur: túq; ipse enitere per Dei gra-
tiā, vt & in miseriā hominis, & in mise-
ricordiam illam Dei in Christo Iesu, ac
spirituales omnes benedictiones, quas
in hac ad Ephesios Epistola magnificè
prædicatas reperies, altius descendas,
quàm potuerim ego qui tamē meo mo
re in hoc laboraui potissimùm in Episto
la ista explicanda, vt præsente Dei spi-
ritu peruenirem ad aliquā certè partem
illius

illius sensus communis miseriæ nostrę, præsertim verò gratiæ in Christo Iesu, quo Apostolum penè absorptũ video. Quod qui non quærunt, sed in nuda duntaxat superficie hærent, næ illi quidem mihi non videntur percipere verũ illum fructum ex scriptis Prophetarum & Apostolorum. Egóne miser Paulum audiam tam grauiter pronuntiantẽ nos omnes mortuos in offensis & peccatis: nunquam verò sibi satisfacientem in prædicanda illa Dei in Christo misericordia, qua nos mortuos in eo viuificauit, excitauit, collocauit in cœlis: in prædicandis opibus illis gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis: in prędicanda excellẽti illa magnitudine potentiæ ipsius in nobis qui credimus: in exprimendis denique aliis huiusmodi, quæ multa passim occurrunt in hac Epistola: Egone, inquam, miser ista audiam, neque tamen vlla ex parte, similiter vt Paulus, his rebus afficiar: neque dolorẽ ex tanta morte, neque voluptatem ex tanta vita percipiam? Nullam equidem existimo gra-

uiorem maledictionem iſta, qua quis cùm intelligit etiã verã aliquã ſententiam, nullo errore implicatus, tamen non verè intelligit corde, quia veritati agnitæ non aſſentitur, aut eam ſibi vera fide in Deum, & in Mediatorẽ non applicat: huiuſmodi enim cognitionem omnem non veram dixerit Propheta, non ſpiritum illum viuificum, ſed literam tantùm occidentẽ. Audite, inquit, audiendo, at ne intelligatis: videte videndo, neque cognoſcatis. Quare cùm omnes alios, tum reges maximè, quis eſt qui non videat, non oportere eſſe contentos cognitione verbi diuini, niſi corde penitus illud intelligant? Quæ quidem cognitio ſola poteſt cor hominis ſanctificare, vt ad officia alia, ita ad munus illud regium in primis fideliter obeundum: & maiorem ac veriorem voluptatem ſuppeditare, quàm poſſunt omnia regna ac imperia huius mundi. Det tibi Dominus Ieſus, vt magis magíſque in dies augearis: in hac præſertim ſeria perceptione gratiæ diuinæ, in

Chriſto

Christo Iesu: atque ita habeas veram illam consolationem scripturarum, quæ animum tuum sustentent in tot curis ac molestiis, quibus profectò oportet te, eo præsertim loco, omnium maximè onerari. Amen. Edinburgi Calen. Octob. 1590.

T. M. Seruus addictissimus

ROBERTVS ROLLOCVS.

ARGVMENTVM Epistolæ.

EPHESVS *Vrbs fuit Ioniæ clarissima vel, vt Herodotus ait, Lydiæ, celeberrimo Dianæ templo clara, & magnæ Dianæ cultrix, Act.* 19. 33. 34. *ab Amazonibus condita. De Pauli primo in hanc vrbem aduentu vide Act.* 18. 19. *De reditu eius in eam: vide Act.* 19. 1. *De toto illo triennio quo mansit in ea, vide Act.* 20. 31. *Postquam iam viua voce Ephesios instituisset Paulus, deinde illo biennio, quo Romæ in suo conducto mansit, scripsit ad eos ex vinculis, misitque per Tychicum hanc epistolam, ad ipsos in doctrina veritatis iam recepta*

confirmandos. In qua Paulus salutatis primum Ephesiis, incipit deinde concionari de benedictionib. Dei spiritualibus in Christo, quas proposita primũ generali propositione, deinde facta particulari benedictionum inductione, hoc est methodo & ordine planè naturali persequitur, nisi quod semel atque iterũ, non oblitus se pastorem esse, generalis benedictionis partes aliquot applicet ad Iudaeos & Ephesios, nominatim vocationem & viuificationem: semel etiam inserat motus animorũ & beneuolentiæ quendam locũ. Post generalem illam doctrinam de benedictionibus spiritualibus, descendit ad speciem, & vocationem illam Ephesiorũ quam attigit dũtaxat in generali doctrina fusius iam pertractat: comparatè primùm propositam, deinde argumentis aliquot confirmatam, hoc est, methodo etiam naturali explicatam. Postquam autem sic in genere primùm, deinde in specie docuit Ephesios, ne offendat præsens conditio personæ docentis & ædificationis illud opus impediat, causa vinculorum suorũ prius exposita, hortatur ne ob afflictiones suas segnescãt. Quoque magis afficiat eos conclusio hortationis, digreditur in locum motus & beneuolentiæ. Absoluta iam doctrina tribus illis partibus constante (nam hæ partes Epist. de doctrina benedictionum, de vocatione Ephesiorum, de remotione scandali crucis sub vnam partem Epist. generalem venire possunt, quas tamen nos docilitatis gratia in Epistola apud populum explicanda seorsim numerauimus)

ius) absoluta, inquam, doctrina & parte Epistolæ
idascalica, sequitur pars Epist. parænetica, in qua
ortatur ad bonos mores, seruata methodo planè
aturali, & proposita primum generalissima paræ-
esi ad officiũ omne Christiani hominis vocatione
ignum, deinde inductis particularibus præceptio-
ibus & officiis, primo loco iis, quæ ad quãcunque
ne discrimine hominũ conditionem pertinent. Se-
undo loco ijs quæ respiciunt certas quasdam homi-
um conditiones, vt mariti & vxoris, parentũ &
iberorum, &c. Postremo, & cõclusionis quasi lo-
o, subiecta generali & cõmuni omnibus superio-
ibus officiis paræneſi, de se corroborandis, vel in-
uenda spirituali illa Panoplia. In his autem par-
icularibus admonitionibus inducendis quis exactũ
& precisum ordinem requirat? Absolutis autem
uabus illis præcipuis Epistolæ partibus, occupa-
ionis quadã specie, vt videtur, significat se credi-
disse res suas priuatas, de quibus etiã certiores fieri
volebant Ephesii. Tychico fratri ac ministro coram
xponendas. Postremo sic præcisa narratione rerum
iarum priuatarum, quid reliquum fuit, nisi vt
adem salutatione, aut certè non valde dissimili,
ua Epistolam incepit, eam etiam clauderet, opta-
etque gratiam Dei in Christo, non Ephesiis modo,
d omnibus etiam diligentibus Dominum nostrum
hristum. Cui sit omnis honor, & gloria. Amen.

TYPOGRAPHVS *Lectori Christiano*, S.

CVVM à laudatis viris commendatu nobis fuisset D. Roberti Rolloc Scoti, Ecclesię Edinburgensis mini stri, Commentarius in Epistolamad Ephesio ob breuem & perspicuam textus explicatio nem cum orthodoxæ fidei analogia prorsu conuenientem, summámque in tota ill tractatione modestiam & grauitatem ad re ipsas apprimè accommodatam: de noua edi tione cogitauimus, tum propter exemplariur in regionibus cismarinis penuriam, tum vt Ec clesiarum Germanicarum, Helueticarum, Ga licarum & Belgicarum fidis Pastoribus grat ficaremur. Dum hunc volvimus lapidem, qui dā Theologiæ studiosus commodùm obtuli nobis in eundem commentarium marginale notas quæ methodum S. Apostoli & interpre tis primo intuitu oculis lectorum subiiciunt Quod vt nobis gratum, ita tibi vtile futurur confidimus: ideo & Edinburgicam editioner religiosè secuti, has notas adiungi curauimu cum duplici indice, ne quid desiderares. Vid igitur, vt quod sincero animo à nobis profe ctum est dextra manu suscipiēs, in vsum tuur & aliorum ædificationem conuertas. Vale

SYNO

SYNOPSIS VI. CAPITVM EPISTOLÆ AD EPHESIOS.

Priores numeri versiculos capitis, posteriores paginam huius editionis denotant.

CAPITIS PRIMI PARTES.

IN EPI-



IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS, Roberti Rolloci Scoti, Comment.

*

ARGVMENTVM.

Primi capitis partes sunt quinque.

Salutatio, ad 3. vers.
Propositio, 3. vers.
Declaratio propositionis ad vers. 15.
Digressio in locum beneuolentiæ, ad vers. 19
Regressio ad declarationem propositionis, & inductionem particularium benedictionum.

CAPVT I.

1 *Paulus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, Sanctis qui agunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu:*
Gratia sit vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.



Aulus Apostolus, Prima pars epistolæ, & capitis huius, salutatio: duobus versibus. In qua explicanda, tum quia communis est omnibus ferè epistolis Paulitum quia ex hoc loco sæpius est ex-

1 *Salutatio, prima pars cap.*

In qua considerantur

plicata, nos hoc tempore non immorabimur, ad argumentum ipſum feſtinantes. I ſalutatione tria ſunt: perſona ſalutans, ſalutata, & bona, quæ comprecatur ſalutan ſalutatæ. Perſona ſalutans eſt Paulus, qu deſcribitur ex vocatione & munere apoſtolatus ſui. Munus apoſtolatus explicatu ab authoribus ſuis, primum Chriſto, cuiu legatione fungitur: deinde Deo ipſo Patre, per cuius voluntatem ea legatione fungitur. Ergo ſeruit in apoſtolatu Chriſt Filio ex voluntate Dei Patris. Perſona ſalutata eſt Eccleſia Epheſina, cuius hic deſcriptionem quandam habemus ex Eccleſiæ Dei adiuncta ſanctitate: ex ſubiecto loco, Epheſo, de qua in argumento diximu ex fide denique in Chriſto, ex qua promanat illa ſanctitas: nam fide in Chriſtum Ieſum purgamur & ſanctificamur. *Grati* Bona quæ comprecatur ſalutans perſonæ ſalutatę, ſunt: Primùm gratia, tãquam cauſa pacis & felicitatis: deinde pax, tanquam effectum gratiæ: nam quòd bene ſit nobi & proſperè ac feliciter agamus, ex Dei gratia eſt, ac nullo noſtro merito. Gratia enim Dei eſt, qua immeritò fauet nobis: excludit enim omne meritum. Rom. 11. 6. *Pa* autem eſt proſper & felix ſucceſſus reru omnium, pacifica & tranquilla vita. Ha

1. Perſona ſalutans, Paul. Apoſtolus.

2. Perſona ſalutata, nempe Eccleſia Epheſina.

3. Bona, quæ ſalutans ſalutatæ comprecatur.

Gratia.

Pax.

bona optat ab authoribus suis in Ephesios deriuari, nempe Deo patre, qui primus ordine efficiens est:& Deo Filio, qui secundo loco efficit.Qua de re postea.

3 *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cælis, in Christo.*

Benedictus, Secunda pars capitis, & summa propositio secundæ partis epistolæ, cuius sententia est, Deus Pater Iesu Christi benedixit nobis omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo.

II. *Propositio*, altera pars capitis.

In hac propositione, vt à Paulo subiecta est, duo consideramus: Primum formam qua proponitur, deinde materiam & substantiam ipsam. Forma benedictionis est, & actionis gratiarum. Existit autem huiusmodi proponendi forma, partim ex agnitione miseriæ nostræ, partim ex agnitione misericordiæ, & beneficiorum Dei gratuitorum: nam cum mouemur & deiicimur conscientia nostræ ipsorum miseriæ, & rursus excitamur cogitatione gratuitæ liberationis, cogimur erumpere in laudem gratiæ Dei. Huius Rei Paul. Rom. 7. 24. & deinceps, in sua persona illustre exemplum reliquit nobis. Nam illic primùm vsque adeo afficitur sensu imperfectionis na-

In ea occurrunt

1. Forma benedictionis, procedentis ex miseriæ nostræ, & misericordiæ Dei sensu,

turæ ſuæ, vt exclamet. Miſer ego homo quis me eripiet ex iſto corpore mortis deinde ſeſe colligit, ac recreat, miſericor-
Et gratiarũ actionis.
diæ Dei in Chriſto, recordatione. Tandem ex hac duplici cogitatione exiſtit ill vox gratias agentis Deo. Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Et paulò poſt: nulla igitur nunc eſt condemnatio iis qui ſunt in Chriſto Ieſu. Hinc diſcimus in quo differant regenerati à non regeneratis.

Vnde diſcrimen inter regeneratos & reprobos apparet.

Regenerati nunquam cogitant vel loquuntur de beneficiis Dei, vel eorum participes fiunt, quin laudẽt Deum continuò, vtanturque grauitatis ipſius beneficiis, ad eum finem, quem ipſe propoſuit, nempe commendationem gratiæ, & gloriam Dei. Non regenerati vero, etiam ſi circumfluant copia beneficiorum Dei tamen tantum abeſt, vt ob hæc eum laudent, vt iis etiam abutantur, quantum in ſe eſt, ad nominis diuini ignominiam. Hęc de forma propoſitionis hactenus.

2. Materia, in qua tria occurrunt:

Sequitur vt dicamus de materia. In materia, docendi gratia, diſtinguimus hæc tria: 1. Ipſam benedictionem in genere propoſitam: 2. Quis benedixerit: 3. In quo benedixerit. Primum itaque occurrit ipſa benedictio, his verbis, *benedixit nobis*. Quę nam ſit hæc benedictio in genere pro-

Primum, *Benedictio*.

posita, ex inductione partium postea euadet clarum. Vocat eum spiritualem primum, deinde clarius explicans hoc ipsum adiunctum, adiicit quod sequitur, *In cælestibus* : ita vt cæleste nihil differat à spirituali. Nomen itaque cælestis sic explicemus. Tria sunt omnino benedictionum & beneficiorum genera, quibus renatus homo, ornatur. Primum genus est eorum, quæ illi etiam cum bestiis communia sunt & ad animam vegetantem ac sentientem pertinent: & animale vocari potest. Positum autē est in vegetatione, sensu, ac motu, cæterísque id genus officiis. Secundum genus est eorum, quæ renato cum non renato communia sunt, & ad mentem humanam pertinent, in quo genere sunt artes omnes tam mechanicæ, quàm liberales, virtutes morales atque politicæ: denique scientiæ omnes, totáque philosophia. In tertio genere statuuntur ea tantum bona, quæ renato propria sunt, & ad regnum Dei duntaxat, christianámque vitam ordinata sunt : cuiusmodi sunt illa beneficia, quæ deinceps inducuntur. Hoc igitur loco tertium genus tantum in cælestibus benedictionibus pono : causa est à differentia trium generum. Nam duo illa priora genera, etsi in renato, & non renato regene-

Et ea quidem spiritualis,

Ac cælestis, proponens beneficium Animale.

Seculare.

Peculiare Dei electis.

Quod posterius, designatur ab Apostolo.

Ratio 1.

ratione differant (regenerantur enim in renato) tamen primum illa duo priora communia sunt: tertium autem genus hoc proprium est renati. deinde duo illa in re-
2 nato partim à natura sunt, partim à gratia,
3 tertium hoc tantum à gratia est. Postremò illa priora propriè sunt huius vitæ, tertium autem hoc futuræ illius cælestis vitæ. Vnde sequitur tertium genus propriè huc pertinere. Sed quia passim in hac epistola hac loquendi forma significatur locus, vt vers. 20. huius capitis, & 3. 6. & 2. 10. & 6 12. non male dices hîc explicari benedictionem hanc à loco in quo sit, nempe cælo, vt sit sensus, qui benedixit nobis benedictione spirituali, quæ est in cælis. Nam ibi demum erit perfectio summa benedictionum omnium spiritualium, quæ in terris tantum inchoantur. Hactenus de benedictione ipsa.

Altera interpretatio vocum, *in calestibus.*

Alterum est, quod in materia propositionis consideramus: Quis benedixerit. Is est Deus *benedictus* inquit, *Deus.* Deinde ne putetur Deum intelligi vt promiscuè subsistit in tribus personis, additur *& Pater*, vt accipiatur Deus sub prima persona. Ergo Deus Pater is est qui benedixit. Nam Pater prima efficiens causa est benedictionis huius. Id quod hac via ostendi-

Alterũ, quod in materia propositionis occurrit, est, *Quis benedixerit.*

Is est Deus Pater.

tur. Vnus eſt Deus, tres autem perſonæ, Pater, Filius,& Spiritus S. Ex his Pater à ſeſe eſt,&non ab alio: totam autem eſſentiam ſuam Filio & Spiritui S. communicat, ac proinde perſona ordine prima eſt. Filius non eſt à ſe, ſed à Patre, à quo accipit eſſentiam ſibi communicatam: Ideóque perſona eſt ordine ſecunda. Spiritus S. non eſt à ſe,ſed à Patre & Filio,à quibus accipit eſſentiam communicatam:ideóque perſona,eſt ordine tertia. Ex his videmus perſonas tres in vnica deitate, differre ordine. Eadem ordinis differentia ſeruatur in operationibus iis, quas Deus exercet in creaturis ſuis, cuiuſmodi ſunt, Creatio, Adminiſtratio, Conſeruatio,Redemptio, Vocatio,Iuſtificatio,& Sanctificatio.Nam Pater in agendo ordine primus eſt, Filius ordine ſecundus,SpiritusS. ordine tertius. Obſeruandum autem eſt diſcrimen ordinis non efficere inæqualitatem vllam.Atque hæc de Deo Patre benedicente.

Quô ſit Pater. ideo de Filii generatione & Spiritus S. emanatione ſeu proceſſione æterna.

Hæ tres perſonæ autem differunt non tempore ſed ordine.

Neque vlla inde ſequitur inæqualitas.

Tertium in materia propoſitionis eſt. In quo,nempe Chriſto,qui ab æterno Dei Filius fuit, & ſuo tempore exhibitus eſt in carne. Subſternitur hoc loco Chriſtus vt materia quædam, ſed nobis coniuncta, vt caput corpori, in qua operatus eſt Pater benedictionem hanc. Chriſtus enim

Tertium, *In quo benedixerit.*

In Chriſto Deo homine qui conſiderandus hîc

Passiuè

duobus modis se habet ad Dei benefici passiuè & actiuè. Passiuè quidem, quatenu recipit in se tanquam sibi propria & de natione Patris, & ratione obedientiæ sua omnia Dei beneficia: atque ideo, vt mate ria quædam patiens dici solet: cuius respe ctu Euangelium sic loquitur de eo & hîc & alibi passim (in Christo.) Actiuè verô si

Actiuè, seu effectiuè.

ue affectiuè habet se Christus, quatenu beneficia recepta à Patre in se, gratis lar gitur nobis, qui nullum omnino comme riti sumus: qua ratione Christus secundu à Patre efficiens est: & de eo, vt efficiente Scriptura, vel sic loquitur, vt vers. 2. huiu capitis, *à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo:* vel sic, vt vers. 5. *Quos adoptaret in filios per Iesum Christum.* Quo loquend modo passim dicitur Pater aliquid agere per Filium, nempe efficientem causam or- dine secundam.

Obseruationes.

Hactenus de forma, & materia proposi- tionis: quædam deinde obseruanda sunt. Primum est de loquendi forma, quæ hic

1. Loquendi forma de Deo patre.

tribuitur Deo Patri. Inuenias primam personam aliquando Dei nomine seorsim

1

expressam, vt Ioann. 17.3. Vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Ie- sum Christum. Aliquando Patris nomine

2

seorsim, vt passim in Euangelio Ioannis:

aliquando coniunctim Dei Patris nomine, 3
vt 1.Thes.1.1. Ecclesiæ, quæ est in Deo Pa-
tre,&c. aliquando denique coniunctim 4
sed per mediam copulam, nomine Dei &
Patris, vt hoc loco & aliàs passim. Secun-
dum est: videmus hic ad vnam, eandém-
que actionem benedictionis, concurrere
Patrem & Filium: sed hoc latius extendo
ad omnem actionem externam, quæ crea-
turas respicit, ad quam producendam con
currunt Pater, Filius, & Spiritus S. licet di
uerso modo: Pater quidem semper vt pri
ma efficiens causa, & fons operationis: Fi
lius vero aliquando vt materia, vt hoc lo-
co, sicuti supra explicatum est: aliquando
vt efficiens ordine secunda: Spiritus S de-
nique vt efficiens ordine tertia. Quæ qui-
dem triplex efficientia ordine agendi di-
stincta, sic enunciari solet in Scripturis:
Deus Pater hoc vel illud efficit per Filium
& Spiritum S.

2. Patris & Filii cōiunctio in eadem actione benedictionis.

Et operationis, in qua dicitur Pater hoc vel illud efficere per Filium & Spiritum S.

4 *Sicut elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, vt simus Sancti, & inculpati coram eo per charitatem.*

5 *Qui prædestinauit nos, quos adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, pro beneuolo affectu voluntatis suæ.*

6 *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, qua nos gratis effecit sibi gratos in illo dilecto.*

Capitis tertia pars: nempe *Propositionis declaratio* ad 15. versic. Hæc fit per inductionem.

Sicut elegit. Hactenus subiecta est generalis propositio: sequitur in tertia par capitis eius declaratio, quæ fit per inductionem partium hoc modo: Deus Pat in Christo nos elegit ad media & ad finem, redemit, vocauit & viuificauit: Erg Deus Pater in Christo benedixit nobis o mni benedictione spirituali. Prima pa inductionis tractatur versib. 4. 5. 6. cuiu duæ rursus partes sunt speciales: Prima e electio ad media, præsertim Sanctificatio nem vers. 4. Secunda est electio ad finem perfectam adoptionem, siue salutem no stram, vers. 5. 6. Priusquam aggrediamu primam partem inductionis explicandam videndus est nobis ordo partium.

Inductionis prima pars, electionẽ ad media & finẽ proponens.

Huius inductionis initiũ prædestinatio, omnium Dei beneficiorum fundamentum & fons.

Inductionis initium sumit à Prædesti natione, neque immeritò: est enim reli quarum omnium partium & beneficiorun fundamentum: Nam si causam reliquorun quæras, necesse est eam primum petamu ab Electione, siue Prædestinatione: vnd videas Rom. 8. 29. cætera quæcunque be neficia à Prædestinatione suo ordine de duci. Quos prædestinauit, hos vocauit quos vocauit, hos iustificauit: quos iustifi cauit, hos glorificauit.

De ea autem in genere a-

Nunc veniendum ad Electionem ac media: quam ita explicabimus, si pauca

quædam de Prouidentia & Prædeſtinatione Dei in genere primum ſubiecerimus. gitur quinq; theſibus.

1. Deus pro ſua immenſa ſapientia omnia quæ futura erant, ab æterno præuidit & præcognouit, quia nullum eſt apud eum temporis diſcrimen, verum omnia præterita, præſentia, futura, nuda & aperta ſemper fuerunt, & ſunt ante oculos eius, Heb. 4. 13.

2. Deus non præcognouit ſolum futura, ſed etiam pro immenſa potentia ſua efficaciter decreuit in æterno conſilio ſuo, futura ſuo tempore.

3. Deus in decernendo reſpexit optimos quoſque fines, præcipuum verò & vltimum ſuam gloriam, vnde decretum Dei, Prædeſtinatio à deſtinato fine appellatur.

4. Cum finium alii ſint medii, alii vltimi, Deus non ſolum ad finem vltimum, ſed etiam ad omnes medios omnia prædeſtinauit.

5. Dei Prædeſtinatio reſpectu hominum diſcrimine à fine ſumpto, nempe ſalute & morte: partim eſt Electio, partim Reprobatio. Hoc itaque loco de Electione agitur (ſic enim redimus ad negotium noſtrum) & primum de Electione ad media, deinde de Electione ad finem. Electio ad media exponitur hoc verſ. 4. Inter me-

Quarum poſtrema viam aperit ad explicationem de electione ad media, quæ eſt Inductionis pars prima ſpecialis.

d.a accipitur hic Sanctitas, in qua tanq
fine beneficiorum omnium, quæ contin
gunt nobis in hac vita Tit.2. 11. 12. intell
genda sunt omnia antecedentia, vocatio
iustificatio,&c.

In cuius consideratione quatuor concurrunt.

Propositio huius partis hæc est: Deu
Pater in Christo elegit nos ante mund
iacta fundamenta,vt simus sancti. In ha
propositione explicanda, distinguenda n
bis erunt hæc quatuor. 1. Ipsum benefi
cium Electionis ad media. 2. Quis elege
rit. 3. In quo. 4. Quo tempore.

1. Ipsum beneficium electionis ad media, i. ad sanctitatem.

In beneficio explicando primum om
nium videndem nobis erit,quid sit sancti
tas hæc ad quam sumus electi. Eam sic
fonte suo hauriemus. Deus in Trinitat
propriè & natura sua sanctus est, hoc est
summè purus,adeóque maximè detestans
& seuerissimè puniens omnem immundi
tiem.Hanc Sanctitatem & Puritatem na
turæ suæ Deus benigne communicauit
cum creaturis suis, Gen.1. Et omnia qua
fecerat erant valde bona, hoc est munda
& sancta:præsertim verò cum homine san
ctitatem suam communicauit, secundum
quam dicitur homo ad imaginem Dei
creatus, Ephes.4. 24. Sanctitatem hanc &
imaginem Dei amisit homo in Adamo
primo:in secundo autem Adamo, qui est

Cuius sanctitatis fons, Deus. Riuuli, creaturæ. Præsertim homo,qui in Adamo lapsus in Christo sanctitatẽ recuperauit.

Christus, eam recuperauerit: Id quod hoc modo docebimus. Cum Christo per Spiritum & fidem coniungimur, vnde coniunctio ipsa, Phil.2.1. communio Spiritus vocatur. Spiritus autem Christi in nobis otiosus esse non potest, verum, vt ipse Sanctus est, & Christus, cuius est Spiritus, sanctus est: ita necesse est, vt operetur in nobis sanctitatem, & conformes nos faciat imagini Christi, hoc est, puros & integros dicente Apostolo 2.Cor.3.17. vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Atque ab hoc officio Spiritus Sanctificationis ab Apostolo vocatur, Rom.1.4.

Cuius beneficii sequitur ratio & modus.

Est igitur Sanctitas nihil aliud quám puritas illa facultatum animi nostri, intellectus, voluntatis, & affectuum, adeóque imago Dei ipsa, in hac vita inchoata quam recuperemus in Christo, operante eam in nobis eius Spiritu. Altera vox in textu, *inculpati*, idem significat quod sancti. Nam μῶμος primum significat dedecus, maculam, labem, vitium, quæ sunt contraria sanctitati. Vnde ἄμωμοι dicuntur immunes à labe & macula, atque ideo sancti & mundi. vid.1.Petr.1.1.19. vbi ἄμωμος & ἄσπιλος pro eodem accipiuntur: & Ephes.5.27. vbi maculæ aut rugæ opponit Sanctum & ἄμωμον. Quod si ἀμώμους interpreteris inculpa-

Inde Sanctitatis definitio.

Et explanatio, ex ipso contextu petita, à contrariæ vocis consideratione, & aliorum locorum collatione.

tos, vel irreprehensibiles, tum μῶμος signi-
ficabit reprehensionem, quæ secundar
videtur vocis significatio. Nam ideo μῶμ
significat reprehensionem, quia labes v
macula est reprehensioni obnoxia. Verum
res eôdem redit. Nam irreprehensibile
dicuntur ex eo, quod immaculati & sin
labe sunt, ac proinde sancti, *coram eo.*

Sanctitatis perfectio & partes.

Ad indicandum sanctitatis profectio-
nem quandam, attribuuntur illi duo, alte-
rum est, oportet simus sancti coram Deo
alterum verò, oportet per charitatem ope-
remur. Ex his duobus, prius illud requirit

Prior pars, interna. quid requirat: nẽpe puritatem cordis.

integritatem ac synceritatem animi, sine
qua non audemus comparere coram Deo
cordium scrutatore: inde est quod Dauid
puritatem, & innocentiam suam probans
Deo, petat ab eo, vt scrutetur penitus in-
teriorem animum, & cordis affectum.
Quod autem sit hoc ita exponẽdum patet
ex 2.Reg.20.3. Spiritus enim Dei eo in lo-
co ita exponit hoc *coram Deo*, subiecta in-
terpretatione per voces *fideliter & animo
integro.* Posterius autem hoc requirit ex-
ternum opus, & fructum interioris Sancti-
tatis, maximè verò charitatis in proxi-
mum. Quod sic exponemus: ad Ephes. 2.10.
dicitur nos esse opus Dei conditos in Chri-
sto Iesu ad opera bona: quo significatur

Posterior, externa. quid etiam requirat: fructus videlicet illius puritatis.

nos ideo regeneratos esse & sanctificatos, vt bene operemur. Apostolus ad Tit.2.12. ait ideò illuxisse nobis gratiam Dei salutiferam, vt sobriè, iustè, & piè viuamus in præsenti seculo: Quo loco significat omnia opera sanctitatis ad tria capita reduci, vt viuamus sobriè, quoad nos: iustè quoad proximum: & piè, quoad Deum. Plura enim operum genera esse nō possunt, quam quæ respiciunt nosipsos, proximum, & Deum.

Qui, iuxta Apostolum, ad sobrietatē erga nos, iustitiam erga proximos, & pietatem erga Deum, referuntur.

Eadem hæc partitio operum sanctitatis apparet, ex illa similitudine vitis & palmitum, quæ est apud Ioan.15.1.& deinceps: Quemadmodum enim palmes ex vite non solùm succum haurit, vnde viuat ipse, sed etiam ex eadem habet, vnde bonos fructus nobis proferat: Sic regenerati Christo insiti, hauriunt ex eo succum, hoc est, sanctitatem, quâ non solum viuunt sibi, hoc est, proferunt opera ad suum vsum, verumetiam quâ viuunt aliis, hoc est, edunt fructus bonorum operum ad gloriam Dei, & vsum aliorum hominum. Cùm igitur tria sint operum sanctitatis genera, hoc loco eorum meminit, quæ proximum respiciunt, & quæ, vt plurimum, à Prophetis & Apostolis commendantur nobis, quia illa sunt præcipua argumenta testantia homi-

Huius distinctionis confirmatio, ex Christi similitudine petita.

Cur iustitiæ quæ proximos respicit frequēs mentio occurrat in scripturis.

nibus interiorem animi ſinceritatem: Imo maiorem vim habent ad eam rem, quàm externa pietatis exercitia. Vide Rom. 2. 17 & deinceps. Iac. 2. 18. Oſtende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego oſtendam tibi fidem meam ex operibus meis. Habes igitur ſanctitatem interna animi ſinceritate, & externo operum fructu perfectam. Hactenus de ipſo electionis ad media beneficio, quod primo loco conſiderandum propoſuimus.

2. 3. Quis elegerit, & in quo.

4. Quo tempore, nempe ante tempus ſeu ab æterno.

Sequuntur alia tria: quorum Duo, nempe, Quis elegerit, & In quo, cum explicata ſint in propoſitione generalis benedictionis, præterimus. Reliquum eſt ex illis tribus tertium de tempore electionis. Tempus eſt æternum ex quo elegit nos ad ſanctitatem. Hæc de re ipſa.

Vnde ſequitur: Chriſtũ ab æterno eſſe Mediatoré noſtrum.

Quæ obſeruamus hæc ſunt: Primum ex tempore electionis in Chriſto colligimus Chriſtum ab æterno fuiſſe Mediatorem noſtrum, non tum tantum cum nos eſſemus, verùm etiam cum non eſſemus: neque tum tantum cum ipſe homo eſſet, verum cum nondum eſſet homo, & manifeſtatus in carne. Quod ſic intelligendum eſt, vt velimus eum Mediatorem fuiſſe, iam olim non manifeſtatum in carne, virtute tamen humanæ naturæ, quam aſſumpturus

ptturus erat, quo ſenſu dicitur Agnus immolatus à mundi origine.

Deinde ex hoc textu occurrimus erroribus hominum impiè de electione Dei ſentientium: & primùm quidem errori quorundam de præuiſa fide & operibus noſtris. Nam hîc dicitur nos eſſe electos, vt ſancti ſimus per charitatem, & cap. 2. 10. huius epiſt. dicitur Deum præparaſſe bona opera, in quibus verſaremur. Ergo non propter præuiſa opera elegit nos Deus.

Fidem & opera præuiſa non eſſe cām electionis.

Tertiò occurrimus eorum timiditati, qui, quòd, vt illi aiunt, in conſilium & electionem Dei penetrare nequeamus, concludunt in electione eſſe materiam deſperationis. Hic diſcimus contrarium: cum enim certi eſſe poſſimus de ſanctitate noſtra, quam in nobis ipſi ex effectis omnes ſentimus, quæ non eſt niſi effectum electionis, neque eſſe poteſt, niſi antegreſſa electione Dei: ſequitur oportere nos certos eſſe de electione, quæ cauſa eſt ſanctitatis noſtræ. Sic enim in cognoſcenda electione non ſtatim inuadimus arcem ipſam conſilii Diuini, ſed ordimur primum ab effecto nobis notiori.

In Electione non eſſe materiam deſperationis.

Quartò obuiam imus ex hoc textu impietati Libertinorum impurorum, qui, quod neceſſitate electi ſumus, ideo colli-

Non licere nobis arbitr noſtro viuere, & conoq

pifcentiæ laxare fræna.

gunt nobis pro arbitrio licere viuere, & concupifcentiæ fræna laxare. Hoc enim loco difcimus nos electos effe ad hoc ipfum, vt fancti fimus, & fanctè viuamus: l quod etiam cap.2.10. audiemus, præparatos, fcilicet, nos effe à Deo ad bona opera vt in iis verfamur. Vt enim Paul. Act.27.3 dixit Centurioni, non potuiffe eos, qui in naui erant faluos euadere, nifi Nautæ permanerent in naui, id eft, nifi medium illud per quod feruandi erant, retineretur: Ita fit in operibus fanctitatis, fine quibus tanquam mediis, impoffibile eft feruari.

Charitatem verã nos ad fanctitatis exercitia erga alios impellere.

Præterea videmus hic charitatem affectum eum animi effe regeneratum, qui impellat nos ad opera & exercitia fanctitatis erga alios. Sed latius extendo hanc thefin. Videbis quicquid in nobis inhæret, fiue fides fit, fiue fanctitas, fiue fcientia, fiue quid aliud, illud omne applicari ad aliorum vfum, impellente nos charitate: Vnde ab Apoftolo dicitur, charitatem ædificare. Ex hoc etiam difcimus charitatem non effe in natura eorum, quæ agunt per ipfam, fed tanquam inftrumentum quoddam ad alios applicans, vel fcientiam, vel fanctitatem, vel ipfam denique fidem.

Summam bonorũ operum

Poftremò hic obferuamus fanctimoniam noftram refpicere Deum & proxi-

mum: Deum quidem, cui sinceritas & integritas interior offerri debet: Proximum verò, cui externa charitatis opera debentur.

in Dei & proximi dilectione consistere

Qui prædestinauit nos. Sequitur his duobus versibus altera pars electionis nostræ, quæ est ad finem illum qui vltimus est respectu nostri, Salutem nostram. Quæ pars optimo ordine sequitur illam partem electionis ad media, explicatam superiori versu. Propositio beneficii est, *Deus Pater prædestinauit nos ad adoptionem filiorum, &c.* In hac propositione consideranda sunt quinque: 1. Ipsum beneficium prædestinationis ad salutem. 2. Quis author. 3. In quo. 4. Quomodo. 5. In quem finem.

Absoluta tractatione, de Electione ad media, accedit ad alteram partẽ, nempe de Electione ad finem, cuius explicatio ad quinque articul. reuocatur.

Quia agitur de prędestinatione in adoptionem, de adoptione dicendum est hoc sumpto principio. Filius Dei omnis, aut per naturam est, aut per gratiam. Per naturam, vt solus λόγος, qui nascendo substantiam Patris communicatam habet, eandem atque integram. Per gratiam Filius, vel creationis est, vt Angeli, & Adam ante lapsum: vel adoptionis, vt Adam post lapsum, & omnes Electi renati, qui ideo dicuntur filii adoptionis, quod, cum non essent filii Dei, idque sua ipsorum culpa: sed

1. De Adoptione disserit, Filium vnicum Dei naturâ ostendens.

Alios adoptatos per gratiam, ante & post lapsum.

filii iræ, voluntate Dei adoptantis per S propter Christum, ius & nomen filii acceperunt, & fratres Christi euaserunt. Adoptio hæc duplex est, vt colligi potest e Scripturis Noui Testamenti: Inchoata quæ est in hac vita, per spem, testibus Paulo & Ioanne. Perfecta in altera vita, quæ tum erit cum mittemur in possessionem illius hæreditatis, eaque præsente fruemur. De hac adoptione perfecta loquitur Paulus Rom. 8. 23. Adoptionem expectantes id est, redemptionem corporis nostri. De vtraque loquitur Ioan. 1. Epist. 3. 2. Charissimi, nunc filii Dei sumus, nempe inchoata adoptione: sed nondum patefactum est quod erimus, nempe perfecta & completa adoptione. Hoc autem loco accipimus perfectam illam adoptionem, quæ erit in altera vita, in qua fruemur præsente hæreditate nostra, cum Christo fratre nostro primogenito. Primum Gal. 4. 5. dicitur Christus nos redemisse, vt adoptionem acciperemus: Deinde Heb. 9. 15. dicimur redempti, vt promissionem æternæ hæreditatis acciperemus. Ex quibus videre est adoptionem & æternã hæreditatem idem esse. Nam eundem reipsa finem Redemptionis vtroque loco intellegimus. Ergo adoptionis nomine non malè accipimus

Adoptio illa post lapsum duplex est, Inchoata, & Perfecta.

Vtraque descripta.

De perfecta, hic sermo.

Quæ & vita æterna dicitur.

hoc loco hæreditatem illam siue vitam æternam, qui finis est, ad quem sumus prædestinati. Præterimus authorem huius beneficii, & eum in quo datum sit, nempe Christum.

Nempe finis prædestinationis nostræ

Sequitur modus quo nos prædestinauit Deus Pater. Modus primum proponitur his verbis, *in sese*: deinde explicatur sequentibus, *pro beneuolo affectu voluntatis suæ*. Ergo modus, quo prædestinauit Deus, est ipsius beneplacitum, quod idem est cum eo quod vocat Rom. 9. 11. Electionem Dei: cùm dicit, vt propositum Dei, quod est secundum ipsius electionem, firmum maneret: Et voluntatem Dei appellat posterius eodem cap. vers. 18. Hic prædestinandi modus excludit omnia, quæ sunt extra Deum ipsum, vt opera, quæ disertis verbis loco Rom. citato exclusa sunt: & fidem præscitam, quam vocant Papistæ.

Præteritis 2. & 3. articulo ad 4. accidit, de modo prædestinationis Is est Dei beneplacitum.

Et voluntas.

Opera & fidem præscitã excludens.

Postremo venit considerandus finis prędestinationis nostræ ad salutem, quem vocat laudẽ gratiæ, quæ nihil aliud est, quam Dei gloria: nam cum laudatur vel gratia, vel iustitia, vel potentia, vel alia denique Dei proprietas, tum exurgit ipsi gloria. Ratio finis subiicitur his verbis, *Qui gratis effecit sibi gratos*: sumpto ab effecto huius gratiæ, quod nihil aliud est, quàm ipsa

Quintus articulus, summum finem prædestinationis nostræ proponens, nempe Dei gloriam.

Ratio huius finis.

ista prædestinatio ad salutem. Nam fin[is]
prædestinationis, nempe laus gratiæ, pri[n]
cipium fuit primum, quod impulit Deu[m]
ad prædestinandum, secundum illud vu[l]
gatum: Primum intentione, est vltimum [e]
xecutione, & contra. Ergo sensus simpl[ex]
est, quasi dicat, ad laudem gratiæ, idq[ue]
merito quia ea ipsa gratia, tanquam fi[n]
proposito nos prædestinauit in Christ[o],
vel impulsus fuit ad nos prædestinando,
hoc est quod ait, gratos reddendos. Hact[e]
nus de re ipsa.

Obseruationes locorum doctrinæ.

1. Electionis principium est in ipso Deo.

Nunc quædam obseruamus. Primu[m]
autem habemus hîc principium electi[o]
nis esse in ipso Deo, & in nulla creatur[a].
Ex hoc collegit Paulus firmitudinem el[e]
ctionis nostræ Rom. 9. 11. Vt propositun[m]
inquit, Dei quod est secundum ipsius el[e]
ctionem, id est, non ex operibus, sed e[x]
vocante, firmum maneret. Ideo enim d[o]
cet firmum manere propositum Dei, quo[d]
fit secundum ipsius electionem, hoc est, v[t]
ille exponit, non ex operibus, sed ex vo
cante. Cum itaque Papistæ quærant ext[ra]
Deum prædestinationis causam in præui[sa]
fide & operibus nostris, an potest ex illo
rum doctrina propositum Dei esse fi[r]
mum?

Non in præuisa fide & operibus.

Deinde obserua: Ex eo quod causæ præ

cedentes sint extra nos, εὐδοκία, per quam, & Christus, in quo nos Deus prædestinauit, colligit finem, Dei ipsius gloriam in solidum: ex Papistarum doctrina de fide & operibus præuisis, necesse est ex contrario, contrarium sequatur. Cum enim opera nostra præuisa in nobis sint, sequitur non soli Deo gloriam deberi, sed eius aliquam partem homini. Sic inimicos vides eos, & consilio Dei æterno, quod necesse est mutabile faciant, & gloriæ, quam quærit ex decreto suo.

2. Si extrà Dei beneplacitum, vt volunt Sophistæ, electio quæritur, Dei gloria ruit.

Et homini gloria tribuitur.

Tertiò, videmus omnes causas prædestinationis nostræ esse extra nos, primùm efficientem, Deum Patrem. 2. materiam, Christum. 3. formam, Dei beneplacitum. 4. finem, Dei gloriam. Nam gloria ipsa Dei propriè est in ipso Deo, dicente Ioan. 17.5. Glorifica me Pater apud temet ipsum ea gloria, quam habui apud te priusquam hic mundus existeret.

3. Omnes causæ prædestinationis sűt extra nos

Postremò non est hoc prætermittendum, quod Paulus sua ipsius praxi confirmet doctrinam suam, docet enim hoc loco finem prædestinationis esse gloriam Dei: & idem versu 3. cum proponeret, ac consideraret Dei in nos beneficia, inter quæ est prędestinatio, Deo benedixit. Hoc exemplum Pauli nobis sequendum est.

4. Electionis nostræ recordatio nos ad gratiarum actionem & sincerum Dei cultum reuocat.

7 *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remißionem, inquam peccatorum, ex diuite ipsius gratia.*

Tractatione de decreto Prædestinationis absoluta, agit de executione decreti.

In quo tria beneficia occurrunt.

Nempe Vocatio.

Iustificatio.

Glorificatio.

Paulus autem hic de Redé-

In quo, Beneficia Dei in vniuersum, ad duo capita reduci possunt, decretum, siue prædestinationem: & executionem decreti. De priori hactenus: de posteriori capite sequitur vt dicamus. In executione decreti numerantur à Paulo Rom. 8. 29. tria beneficia, vocatio, iustificatio, & glorificatio. Quos prædestinauit, inquit, eos vocauit: quos vocauit, eos iustificauit: quos iustificauit, eos glorificauit. Author Epistolæ ad Hebræos eadem hæc tria beneficia coniungit 9. 15. Itaque ob id Noui fœderis Mediator est, vt morte intercedente vocati, (hoc primum beneficium est vocationis,) ad redemptionem earum præuaricationum, quæ fuerant sub priore Testamento (hoc secundum beneficium est redemptionis, quod idem est re cum iustificatione: nam remissio peccatorum & iustificatio coniuncta sunt necessario) promissionem accipiant æternæ hæreditatis (hoc tertium beneficium est æternæ vitæ, quam Paulus glorificationem vocat.) Hoc loco eadem tria beneficia numerantur, sed ordine naturæ non seruato: nam prius de redemptione, posterius de vocatione agitur,

vt videbimus. Hic redemptionis nomine intelligimus etiam tertium beneficium æternæ vitæ, & glorificationis: de qua glorificatione siue sanctificatione etiam seorsim postea hoc cap. vers. 19. & cap. sequent. Agamus itaque de redemptione. In ea explicanda distinguimus in textu hæc quinque. 1. Ipsum beneficium. 2. pretium redemptionis. 3. Quis author beneficii. 4. In quo conferatur. 5. Subiecta eius definitio. Veniamus ad primum:

ptione seu Iustificatione, ex qua Sanctificatio sequitur, agit. In ea autem explicanda quinque occurrunt.

In explicando beneficio, primum de nomine, tum de re agemus. Nomen mutuatitium est, eiúsque ratio paulo altius est repetenda. Duplex est status hominis, vnus miseriæ sub peccato, & morte: alter gratiæ sub iustitia & vita. Vtrumque statum exprimit nobis Scriptura vocibus sumptis à conditione seruorum, & liberorum in politia: & primùm status miseriæ explicatur vocibus translatis à conditione seruorum: vt cum dicitur, Carnalis homo, venditus vt subiiceretur peccato, Rom. 7. 14. & seruus, Rom. 6. 7. 8. cap. Deinde status gratiæ declaratur nominibus sumptis à conditione liberi hominis: vt cum dicitur homo redimi è seruitute peccati, vt hoc loco, & alibi, ídque pretio quasi numerato 1. Corinth. 6. 20. Pretio empti estis, quo facto li-

1. Ipsum beneficiū, quod proponit duplicem hominis statum.

Miseriæ.

Gratiæ.

Rem ipsam, cuius definitio subiicitur

ber dicitur, & sui iuris, Rom. 6. 7. 8. cap. Hactenus de voce, nunc de re dicendum. Redemptio propriè significat illam Christi actionem, vel passionē, qua functus est in cruce, dum pro nobis factus est execratio, Gal. 3. 13. At Christus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus est execratio. Hoc verò loco, vt Paulus eam definit, significat remissionum peccatorum: qua remissione intelligo plenam liberationem à peccato & morte, eóque iustificationum & vitam æternam.

Definitionis explicatio.

Fundamentum remissionis peccatorum, decretum Dei.

Vt autem plenius cognoscatur à nobis beneficium hoc, principium altius repetendum est. Omnium benedictionum spiritualium, quæ sunt in decreto exequendo, primum fundamentum est ipsum decretum. Verum Deus eam rationem semper seruauit, vt inter decretum, & executionem decreti, posuerit mediam promissionem beneficiorum, quæ in executione decreti locum habent, vt prius fide quam aspectu ea haberemus. Promissio verò ad fœdus referenda est. Itaque de fœdere paucis dicendum, à quo repetimus originem huius beneficii redemptionis nostræ proximè secundum electionem. Fœdus igitur duplex à principio iniit Deus cum homine, vnum naturale in creatione ipsa

Promissio beneficiorum inter decretum & eius executionem

Hinc oritur disputatio de fœdere Le

initum, quod Lex continet: Alterum gratiæ, quod post lapsum hominis cum homine pepigit, & Euangelio continetur: in quo promittit Deus redemptionem hanc, per & propter Mediatorem: homo verò fidem præcipuè. Beneficium igitur redemptionis illud est quod Deus in Fœdere gratiæ promisit, cuius beneficii promissi impletionem iam incipimus sentire.

gali & Euangelico.

Quid fœderati promittant.

Hactenus de redemptione ipsa, nunc de pretio, quod quoque ad promissionem fœderis referimus. Nam promissio in Fœdere gratiæ, qua dicitur, *Crede & viues*, supponit antecedētem, nempe mortem & sanguinem Mediatoris. Quare & eius impletionem antecedit mors & sanguis Mediatoris. Probatur prius, quia promissio, quæ ex gratia facta est credenti, non potest esse præiudicio iustitiæ Dei, quæ necessariò punit peccatum morte & sanguine. Ergo non nisi conditione satisfactionis, qua per sanguinem Mediatoris satisfieret iustitiæ Dei, promisit Deus vitam credenti, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu. Rom.3.26. vnde sequitur impletionem promissionis de redemptione & vita, esse non posse, nisi per mortem & sanguinem Mediatoris pacata prius Dei ira. Heb.9.22. Absque effusione

2. De pretio redēptionis.

Quale illud sit.

Cur illud, non aliud.

Quid inde consequatur.

Quæstio, an pretium illud sit æquiualẽs
Responsio.

sanguinis non fit remissio. Quæritur, an sanguis Christi hominis possit satisfacere infinitæ Dei iustitiæ? Respondeo, sanguinemChristi hominis, infinitæ virtutis esse propter coniunctam Deitatem, quætribuit illi infinitam promerendi virtutem: vnde Act.20.28. dicitur sanguis Dei.Deus inquit, Ecclesiam suam proprio sanguine acquisiuit. Sciendum enim est redemptionis opus commune esse Dei & hominis, non quidem quod idem prorsus præstiterit vtraque natura in illo opere, sed quod in vno eodemque opere, vtraque proprium sibi officium fecerit, coniunctum tamen, ad commune opus absoluendum: Quod piè expressit Leo quidam Episcopus Romanus in epistola ad Flauianum. Agit enim vtraque forma cum communione alterius quod proprium est: verbo scilicet operante, quod verbi est,& carne exequente,quod carnis est.

Responsionis ratio.

Leonis testimonio comprobata.

Hæc de redemptionis pretio, nunc de Authore beneficii,nempe,Deo Patre, qui primus ordine remittit peccata. Nam si redemptionem propriè accipias pro actione ipsa redimendi,vt suprà attigimus, sanè diciturin Ecclesia Christus κατ' ἐξοχὴν redimere & seruare.Solus enim Filius Deus & homo proprietatis, vt vocant,&

3. DeAuthore beneficii.

propinquitatis ius ad nos redimendos habuit Leuit.25.48.49. Hæc de authore.

Nunc de eo in quo redempti sumus, nempe Christo. Hac locutione intelligo non solum Christum materiam esse, quasi formatam & factam pro nobis omnia, 1. Cor.1.30. Christus factus est nobis sapientia à Deo, iustitiáque & sanctificatio, & redemptio: verumetiam vnionem Christi & nostri. Nam nos habere aliquid beneficii in Christo supponit prius nos in Christo esse, hoc est, coniunctos cum eo, vt membra corporis cum capite.

4 In quo beneficium illud redemptionis conferatur.

Nunc postremò de definitione redemptionis dicemus. Vocat Paulus redemptionem hanc, remissionem peccatorum, non quidem propriè: nam remissio peccatorum redemptionis propriè sumptæ, effectum est. Remissionem peccatorum intelligo hoc loco plenam liberationem à peccato & morte, ac proinde iustificationem & vitam æternam, de quibus in postrema parte Symboli Apostolici. Additur remissionem hãc ex gratia esse, quod idem est re cum eo quod dixit, Redemptionem per sanguinem esse: nam dum Deus non exegit sanguinem nostrum, sed sanguinem Mediatoris: idque vt iustus esset Rom.3.26. gratia eius mera apparuit erga nos in re-

5. De redemptionis definitione.

Definitionis explicatio.

mittendis nobis peccatis nostris. Meritum enim est Mediatoris propriè, non nostrum, nisi per imputationem: respectu nostri sola Dei gratia locum habet, idque tum quod Deus non punierit peccata nostra in nobis ipsis, tum quod meritum Christi Mediatoris, in quo puniuit peccata nostra, nobis imputarit. Hactenus de re.

Obseruatio-nes locorum doctrinæ. Prima. Nunc obseruemus pauca. Primùm nota locutiones has, (nempe seruari per sanguinem, per obedientiam, per iustitiam Christi) idem significare. Nam primus ordine est sanguis: Effuso sanguine, quo Christus obediens factus est ad mortem crucis, obedientia patefacta est. Altera. Secundò, quia obedientia siue humiliatio Christi satisfecit legis iustitiæ, ideo eam iustitia Christi perfecta insecuta est, qua perfectè iustus in sese euasit. Tertia. Deinde obserua hic redemptionem ipsam esse per sanguinem, hoc est, non solum, sed per coniunctam etiam Dei virtutem, ideóque per vnionem Hypostaticam Dei & hominis: nos verò eius Redemptionis participes esse in Christo, nempe vnito nobiscum, eóque per secundam vnionem, quæ est Christi & nostri, remitti nobis peccata nostra.

8 *Quà redundauit in nos omni sapientia & intelligentia.*

9 *Patefacto nobis mysterio voluntatis suæ, secundum gratuitam suam beneuolentiam, quam proposuerat in sese.*

10 *Nempe vt in pleni temporis dispensatione, recolligeret omnia in Christo, tum quæ in cælis sunt, tum quæ in terra.*

Quæ redundauit. Hactenus de electione, eáque duplici, de redemptione siue remissione peccatorum sub qua & glorificatio comprehendenda est: sequitur nunc vocatio, quæ quamuis inter beneficia, quæ locum habent in executione prædestinationis, prima ordine sit, tamen hîc post redemptionem posita est. Vocatio hoc loco duplex exponitur, interna hoc versu, externa duobus sequentib. Interna est posita in interiori & efficaci cognitione, externa in exteriori prædicatione Euangelij.

In executione decreti Prædestinationis occurrunt 3. beneficia, Vocatio, Iustificatio, Glorificatio. De iustificatione seu redemptione actum est in explicatione 7. vers. his 3. sequentibus, de vocatione dicendum. duplex ea est Interna, in qua considerantur

In interna explicãda hæc seorsim capita nobis expendenda erunt. 1. Ipsum beneficium internæ vocationis. 2. Quantitas siue magnitudo beneficii. 3. Modus conferendi.

Quod ad primum, beneficium ipsum appellatur nominibus sapientiæ & prudentiæ. Si velis hoc beneficium ad fundamentum suum reducere, nihil aliud ipsum esse iudico, quàm partem sanctificationis, siue

1. Beneficium ipsum internæ vocationis.

Quod pars est sanctificationis, siue regenerationis

regenerationis, de qua supra dictum est. Nam, cum tota sanctificatio posita sit in renouatione mentis, voluntatis, & affectuum, cognitio hæc nihil aliud est, quàm renouatio & illuminatio mentis nostræ.

teste ipsomet Apostolo.

Hæc esse vera constat ex Epistola ad Col. 3.10. Et indueritis nouum illum hominem qui renouatur in Agnitionem congruentem imagini eius qui ipsum condidit. Nouus homo nihil aliud est, quàm sanctificatio nostri. Eius partem aliquam statuit Agnitionem ad imaginem ipsius Dei restitutam. Nam Ephes.4.24. aliæ partes noui hominis conditi ad imaginem Dei numerantur.

Huius beneficii partes Sapientia. Prudentia.

Per sapientiam itaque intelligo cognitionem eam, quæ est de Deo, Christo, & rebus diuinis. Prudentiam autem accipio eam, qua fit vt cognitione illa Dei non abutamur, sed eam ad verum vsum accommodemus.

In quib. tota doctrina christiana consistit, quæ est

Hoc discrimen sapientiæ & prudentiæ cognoscitur ex ipsa doctrina Christiana, eiúsque natura. Doctrina Christiana non solum contemplatiua est, sed etiam practica.

Cõtẽplatiua. Practica.

Ergo qua cõtemplatiua est, requirit sapientiam: qua vero practica, prudentiam.

2. Magnitudo ipsius beneficii, seu sapiẽtiæ quæ consideratur

Hactenus de beneficio ipso, sequitur magnitudo beneficii, quæ duobus verbis amplificatur, verbo redundandi, & nota vniuersi

niuersi generis. Magnitudo huius sapientiæ facilius cognoscetur, si ea distinctius paulò explicetur, & quam diuersa sit, ostendatur. Primum omnium sapientia infinita est in Deo, Patre, Filio, & Spiritu S. Deus cum homine personaliter vnitus communicauit cum Christo homine sapientiam finitam quidem, verum omnium rerum creatarum, tam cælestium, quàm terrestrium sapientiam longissimè & infinitis penè partibus superantem, qua de causa dicitur Ioan. 3.34. datum ei esse Spiritum, non ad mensuram. Et Colos. 2.3. In ipso esse thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos. Christus denique Deus & homo nobiscum coniunctus communicauit nobis, vt & alia beneficia, ita sapientiam, non tantam quidem, quanta est in seipso, verum longè superantem omnem eam quæ à natura nostra est. De hac tertia sapientia sermo est hoc loco. Verum cur dicitur redundans? Cur omnis? Respondeo in sese quidem esse perfectam & integram, vt nobis in Christo offertur: In nobis verò qui non possumus totam semel capere, imperfectam esse, ex parte enim sapimus, ex parte prophetamus, 1. Corint. 13.9. Perficietur autem in altera vita, 1. Cor. 13.12.

In sapientia infinita quæ est in Deo.

In sapientia, non ad mensuram, homini Christo cómunicata.

In sapientia quæ communicatur Dei electis.

Et quamuis perfecta in se tamen in nos redũdat: perficietur autẽ in nobis in altera vita.

Hæc de magnitudine beneficij, sequi-

3. Modus cõ-

ferendi huius beneficii. ur tertium caput de modo conferendi hu-
us beneficii. Modus est in particula, *qu*
nempe, gratia. Duplicem, quantum a
hunc locum attinet, intelligo gratiam
priorem, qua annunciatum est nobis E-
Externa Euangelii prædicatio. uangelium, quod continet hanc sapien-
tiam: siue qua sapientiam hanc in Euange-
lio obtulit. Nam nisi Deus reuelasset ea
per Euangelium, ne vel suspicari quidem
de ea vnquam potuisset homo: sed hæc g-
tia pertinet ad externam vocationem. Po-
Interna Spiritus S. per verbi ministerium agentis efficacia. steriorem gratiam intelligo, qua per Sp-
ritum suum sapientiam in Euangelio ext-
rius oblatam interius imprimit animi
Nam cum animalis homo non percipi
ea quæ sunt Spiritus Dei, nec possit perc-
pere, 1.Corint.2.14. necesse est, si modo
percepturus sit vnquam, Dominus adape-
riat cor, vt Act.16.14. de Lydia muliere d-
citur, cuius Dominus adaperuit cor, vt a-
tenderet ea quæ dicebantur à Paulo. Han
gratiam, quia ad internam vocationem
propriè pertinet, hoc loco intelligo. Hac
de vocatione interna hactenus.

Obseruationes locorum doctrinæ de vocatione interna. Nunc quædam obseruanda sunt: Pri-
mùm subiungit vocationem internam re-
demptioni, qua ex re discimus, non posse
nos participes esse redemptionis, nisi be-
neficium ipsum cognoscamus & fide am-

plectamur. Hinc improbamus eorum errorem, qui per opus, vt vocãt, operatum, absque fide, & absque vera cum Christo vnitione, docent remissionem peccatorum salutémque hominibus communicari.

1. Refutatio erroris de opere operato

2. Discimus hîc, non satis esse homini Christiano, si cognoscat quæ reuelata sũt in Euangelio, nisi etiam sciat illa cognitione, vti in vita quotidiana. Inde est quod Apostoli fidem, vocationem, sapientiam cum vsu & praxi sua cõiuncta, soleant nobis commendare. Hæc arguunt prętcr cognitionem oportere in nobis esse prudentiam, qua fit, vt rectè vtamur beneficiis illis cognitis. Nam praxis semper proximè præsupponit prudẽtiam, non tantum cognitionem. Rursus cum constet hanc ipsam prudentiam non nisi actione & comparari & conseruari, Christiano homini semper agẽdum est in vita. Hinc damnamus theologos illos Papisticos, qui rem diuinam traxerunt ad nudam contemplationem, si modo spinosæ illæ quæstiones & friuolæ distinctiones contemplationis nomẽ mereantur. Hos suo tempore damnauit Apostolus. Vide Epist. vtramque ad Timoth.

2. Aduersus Libertinos, qui sapientiã à prudentia, id est, fidem ab operibus diuelli posse putant.

Et aduer. Sophistas, qui ad futiles qq. Theologiam pertraxerunt.

3. Videmus hîc, sapientiam in Euangelio reuelatam in sese perfectam & absolu-

3. De perfectione S. Scripturæ.

tam esse, in nobis verò dum hic viuimu imperfectam. Vnde existunt duæ admoni tiones: altera, acquiescendum nobis esse i sacris literis, tenentes illud Apost. 2. Tim 3.16. Tota scriptura diuinitus est inspirata & quæ sequuntur. Altera admonitio est, a dolescendum nobis esse quotidie in co gnitione, crescentes in agnitionem Dei Col. 1. 10.

In qua ideo acquiescendum.

Et in agnitione Dei indies crescendum.

4. Discrimen non renati & renati hominis. vnde refutatio dogmatis de viribus naturæ corruptæ & liberi arbitr. post lapsum.

4. Dicitur hîc per gratiam redundar in nos Deus omni sapientia. Nunquàm leges in scriptura hanc sapientiam natura aut libero arbitrio tributam: Imo 1. Cor. 2. 11. excludit ab hac sapientia naturam hu manam. Quis enim hominum nouit e quæ sunt hominis, nisi Spiritus homini qui est in eo, ita etiam ea quæ sunt Dei ne mo nouit, nisi Spiritus Dei. Hinc manife stum discrimen apparet inter non rena tum & renatum. In iis quæ Dei sunt ver intelligendis solus renatus aliquid potest dicente Apostolo, Spiritualis autem om nia diiudicat, in iisdem verò non renatu nihil potest dicente eodem, Animalis ho mo non percipit ea, quæ sunt spiritus De nec potest percipere. Sed dices, an ope in tellectus huius naturalis nihil possumu eorum intelligere, quæ Dei sunt? Respon deo, si solus accipiatur, nullam facultaten

De facultate & viribus intellectus theologica distinctio, disputa-

quidem in eo esse, quo ea, quæ sunt Spiritus Dei rectè dignoscantur: quo sensu dictum est, Caro & sanguis non reuelarunt hæc tibi: Sin verò simul cum Spiritu regenerante, intellectum capias, cum Spiritus ministret illi facultatem aliquam, & tanquam principalis causa concurrat cum ipsius actione, non negamus mentem hominis capacem esse eorum quæ sunt Spiritus Dei, & ea etiam capere, sed non solam, verùm præsente Spiritu Dei principali agente, cùm vna eadémque vtriusque sit actio, cuius Spiritus principalis est causa, mens secundaria & instrumentaria, qua regenerata vtitur Spiritus S. tionem de libero arbitr. definiens.

5. Hæc verba, *diues gratia, & redundauit in omni*, ad amplificationem diuinæ gratiæ pertinent. Adeo sibi non potest in extollenda Dei bonitate satisfacere, vt totas hominum mentes eius admiratione absorbeat! Atque vtinam hac quam commendat gratiæ opulentia penitus imbutæ fuissent hominum mentes: Sic enim locum non reperissent satisfactionem commenta, & tales nugæ quibus persuasus fuit mundus seipsum redimere, ac si aresceret Christi sanguis, nisi aduentitiis subsidiis adiutus. 5. De gratiæ diuinæ amplificatione. Adu. satisfactionum humanarum commenta.

Patefacto nobis. Hactenus de interna Externa vo-

catio tria cō-plectitur.

vocatione, sequitur externa duob. vers. i quibus explicandis hæc capita distinguenda sunt, 1. Ipsum beneficium externæ vocationis. 2. Modus conferendi beneficii 3. Finis eius vers. 10.

1. Ipsum beneficium externæ vocationis, cuius definitio adscribitur.

Externa vocatio ipsa non est aliud quàm patefactio mysterii voluntatis diuinæ. Mysterium voluntatis intelligo Euangelium siue sermonem Dei. Ponitur enim hîc definitio, nempe mysterium voluntatis diuinæ pro definito nempe Euangelio vel Dei sermone. Quod autem sit hæc definitio sermonis Dei, apparet ex Epistola ad Colos. 1. 26. vbi postquam nominauit, sermonem Dei, subiicit tanquam definitionem, mysterium absconditum à seculis & ætatibus. Mysterii nomen significat in genere sacrum quiddam celatum. Eius vis declaratur à Paulo pluribus in locis, Col. 1. 26. Ephes. 3. 9. vbi dicitur, absconditum fuisse à seculis in Deo. Multo apertissimè declaratur 1. Corint. 2. 7. vbi sapientiam in mysterio definit occultam illam, quam præfinierat Deus ante sæcula in gloriam nostram. Hæc de vocis ratione in genere. Nunc sciendum est Euangelii doctrinam hoc nomine appellari. Insignis est locus 1. Tim. 3. 16. vbi Euangelii breuis, sed magnifica quædam descriptio est. Et fine

Definitionis explicatio, ex aliorum locorum collatione.

Applicatio definitionis ad doctrinam Euangelii.

controuersia magnum est pietatis myste- rium :Deus conspicuus factus est in carne, iustificatus in Spiritu, conspectus est ab Angelis, prædicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam. Imò verò Euangelii partibus hoc nomen tribui solet, vt 1. Cor. 15. 51. Resurrectioni corporum. & Ephes. 5. 32. Coniunctioni Christi & nostri. Ephes. 3. vocationi gentium. Dicitur autem Euangelium mysterii nomine, quia à sæculis absconditum erat in Deo: absconditum, inquam, hominibus: 1. Corint. 2. 8. etiam Angelis ipsis, quibus innotuit demum Euangelium per Ecclesiam, Eph. 3. 10. Hæc de beneficio ipso externæ vocationis. Sequitur modus conferendi beneficii.

Cuius sequitur descriptio

Ratio etiam attributi nominis.

Modus patefacti mysterii est, secundum gratuitam beneuolentiam Dei. Explicat hoc planius per propositum Dei in sese, vicissim enim sese declarant hæc duo. Supra vers. 5. prædestinationem Dei in sese, per beneuolum Dei affectum explicauit, hoc versu verò contra beneuolum affectum per propositum Dei in sese. Hæc de modo. Sequitur finis reuelati mysterii ver. 10. *Vt recolligeret omnia.* Hîc tria consideranda sunt, 1. Recollectio ipsa omnium, tum quæ in cælo, tum quæ in terra sunt.

2. Modus conferendi illius beneficii.

Finis. In quo tria consideräda.

2. In quo. 3. Quo tempore. Quod ad pri-
1. Recollectio ipsa omnium mum, dicitur recollectio omnium. Quæ autem sint illa, explicatur per partes, ea quæ in cælis sunt, & ea quæ in terra. Ea
Quæ in cælo sunt, quæ in cælis sunt, intelligo animas sanctorum mortuorum. Nam de Angelis nihil nunc dico, donec Dei gratia aliquid de
Et in terra. iis quod certum sit, didicero. Ea autem quæ in terris sunt, intelligo homines in
Proponit autem hæc recollectio, dispersionem. terris agentes. Vt autem cognoscatur plenius hæc recollectio, tenenda nobis prius est quædam dispersio omnium. Homo lapsu suo & peccato separauit se à Deo: primùm, deinde ab homine. Nam hæc duo perpetuò coniuncta sunt, impietas in Deum, & iniustitia in hominem. De hac separatione & miserabili dissolutione puto Paulum disserere ad Romanos, dum confirmat omnes homines impios esse & iniustos: Omnes peccasse, & defici gloria Dei: Deum conclusisse omnia sub peccato. His enim nihil aliud doceri videtur, quàm horrenda illa hominum dissolutio.
Quō facta sit hæc recollectio. Hanc igitur dissolutionem secuta est recollectio, quam Apostolus Rom. 3. 21. videtur intelligere dum ait, Nunc verò absque lege iustitia Dei patefacta est. Et Gal. 4. 4. At postquam venit plenitudo temporis, emisit Deus Filium suum factum ex

muliere, factum legi obnoxium, vt eos qui legi erant obnoxii redimeret. Et Col. 1.20. Et pace per sanguinem crucis eius facta, per eum placuit reconciliare omnia sibi, per eum inquam, tum quæ in terra, tum quæ in cælis, Et 2. Corin. 5.17.18. Ecce, noua facta sunt omnia: hæc autem omnia sunt ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum. Et Rom. 11.32. vt misereretur omnium. His & similibus locis prorsus videtur mihi intelligenda hæc, quæ dicitur hoc loco, recollectio. Hæc de recollectione ipsa. Nunc in quo facta sit dicendum. Facta est in Christo, tanquam capite, in quo habemus omnia. In ipso enim inhabitat plenitudo, & nos accipimus ex eius plenitudine. Locutio ipsa summam coniunctionem Christi & nostri denotat. Nam in Christo nos habere aliquid, est habere illud in eo tanquam nostro & nobis dato, adeóque parte nostri, nempe capite. Maius enim est hoc, quàm si diceretur per Christum, vt Mediatorem. Hæc de eo in quo. Tempus notatur, plenum illud, cuius omnia spatia sunt peracta, ita vt nec serius nec citius recolligi potuerint omnia. Nisi plenum malis intelligere totum illud tempus inter promissionem factam Adamo de Christo, & executionem promissionis.

2. In quo facta sit.

In Christo.

3. Quando.

Nempe in plenitudine temporum.

Hæc de externa vocatione.

Obiectio, Quo in aduentu Christi facta hæc recollectio.

Vnum hîc obiiciemus: Quomodo dic tur in aduentu demum Christi recoll ctionem hanc fieri? Annon ante aduentu Christi collecti fuerunt, & sancti in cæli & sancti in terra, hoc est, annon habu Deus Ecclesiam & Triumphantem & M litantem? Respondeo triplicem posse con siderari hanc recollectionem. Prima fu ante manifestatum Christum in carne. Se cunda post manifestatum Christum. Te tia erit in aduentu secundo Christi. H recollectiones si compares inter se, sun omnes, fateor, in Christo: sed perfection differunt. Imperfectior illa prima, perfe ctior secunda: imperfectiores prima & se cunda, sed perfectissima erit tertia. Ho loco sermo est de secunda illa recolle ctione, cuius comparatione prima exigu fuit: sed illa etiam ipsa in secundo Chris aduentu dabitur perfectior. Hæc hactenu de beneficio vocationis, internæ primum deinde externæ.

Responsio per distinctioné temporis, Ante Christú Post Christi aduentum.

In ij. aduentu.

Quod tempus in triplici gradu considerandum.

11 *In ipso inquam, in quo etiam electi sumus quum essemus prædestinati secundum pro positum eius, qui omnia efficit ex consili voluntatis suæ.*

12 *Vt nos simus laudi gloriæ ipsius, qui prio*

res speraumus in Christo.

13 *In quo sperastis & vos audito sermone ve-*
ritatis, id est, Euangelio salutis vestræ: in
quo etiam posteaquam credidistis obsi-
gnati estis Spiritu illo promissionis sancto.
14 *Qui est Arrhabo hæreditatis nostræ, dum*
in libertatem vindicemur, ad laudem glo-
riæ ipsius.

In ipso. Vocationem in genere traditam in specie applicat ad Iudæos primùm duobus versib. deinde ad gentes vers. 13. 14. In priori aplicatione hæc capita consideranda sunt, 1. Vocatio ipsa Iudæorum. 2. In quo. 3. Modus & forma. 4. Finis. In fine vers. 12. est argumentum vocationis Iudæorum ab effectu.

Applicatio duplex vocationis quam in genere proposuit.

Primùm itaque est vocatio Iudæorum suis caussis explicata, deinde est confirmatio. Vocatio igitur ipsa exprimitur verbo κληρῶσθαι. Pertinet proprè hoc verbum ad magistratus, qui creantur sorte. Transfertur ad vocationem Iudæorum hoc loco, fortasse non sine allusione ad portiones illas terræ inter duodecim tribus sortitione distributæ. Cæterùm gratuita & inopinata quædam vocatio significatur hoc verbo: vt enim qui sorte vocantur, iis vocatio vel dormientibus, nihil ipsis agentibus, nihil

Prior applicatio specialis ad Iudæos.

Quorum vocatio proposita, nomine tenus.

Deinde re ipsa.

mouentibus contingit : ita vocatus est h populus ex mera Dei gratia, sine merit suo ad participandum cæleftem illam ha reditatem. Hæc de vocatione Iudæorun Nunc videndum *in quo*, nempe in Chr fto: de hoc paſſim antea, nunc hoc tantùı dicendum. Omnes benedictiones in Chr fto reconditæ quaſi, & poſitæ ſunt : In ill eſt iuſtit a, in illo eſt vita æterna : in ill ſunt reliquæ omnes, quas ille nobis ſu merito acquiſiuit. Hæ benedictiones no in illo ſolo retinentur, ſed in omnes, qu cum ipſo, per regenerationem Spiritus S vnum fiunt, ipsique tanquam capiti totiu eccleſiæ, ſeu vera membra agglutinantur neceſſe eſt eas deriuari. Nunc de forma vo cationis Iudæorum : in qua explicanda re currit ad fontem ipſum primum vocatio nis, Dei propoſitum, quo excludit Iudæo rum merit a, Patres, & cæteras omnes præ rogatiuas. Sic enim 2.Tim. 1.9. de ea re lo quitur : Qui ſeruauit & vocauit nos voca tione ſanct a, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia, quæ data qui- dem eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempo- ra ſæcularia. Mentione facta propoſiti di- uini compeſcit etiam curioſitatem eorum, qui de vocatione Iudæorum, cur nimirum priores vocati fuerint, fortaſſe quærerent.

Secundò, in quo quærenda ſit, nempe in Chriſto.

Tertiò, quomodo facta ſit.

Quod autem priores vocati ſint poſtea videbimus. Confirmat autem formam hanc vocationis ab ipſo genere: *Omnia efficit*, inquit, *ex conſilio voluntatis ſuæ*, Ergo & hoc. Sequitur finis vocationis Iudæorum: nempe, *Vt nos ſimus laudi gloriæ ipſius.* Per gloriam intelligit κατ' ἐξοχὴν eam, quæ elucet in miſericordia. Nam bonitas Dei maximè propria eſt, in qua quærat ſibi gloriam. Notanda eſt phraſis: *Laudem gloriæ* vocat, quia gloriam Dei in ipſo Deo exiſtentem propriè, & non in creatura vlla, duntaxat admirantur & laudant creaturæ: hoc enim diſcrimen eſt inter gloriam Dei & hominis. Gloria hominis eſt in glorificante, Dei autem gloria in ipſo.

Quartò, quo fine.

Quid laus gloriæ.

Hactenus de beneficio vocationis Iudæorum cum ſuis cauſis, materia, forma, fine. Nam efficiens eſt Deus Pater, vt ſupra. Sequitur nunc confirmatio à ſpe in qua fides intelligenda. Quia enim fide apprehendimus promiſſionem: ideo ſperamus per patientiam id quod promiſſum eſt. Argumentum igitur eſt ab effecto vocationis, ſpe cum fide. Nam ſpes cum fide ex prędicatione verbi externa efficitur Rom. 10. 17. Fides eſt ex auditu, auditus per verbum. Non ſimpliciter, ſperaſſe, ſed *prius ſperaſſe* dicit, ex quo ſignificat etiam prius vocatos

Summa dictorum de priori applicatione ſpeciali vocationis ad Iudæos, cui adtexitur confirmatio eiuſdẽ vocationis ab effectu.

Argumenti seu confirmationis partes & testimonia

esse Iudæos. Quod quidem ita fuisse sic ostendemus: Iudæi si in se & sua natura considerentur, nihil in ipsis fuit, cur priores vocarentur. Id docet Apostolus 1. 2. & 3. cap. ad Rom. Omnes, inquit, peccauerunt, & deficiuntur gloria Dei. Verùm ita visum est Deo ex mera gratia sua, vt vocare omnino, ita etiam priores Iudæos vocare.

Caussa efficiens huius vocationis.

Materialis.

Christus ipse fuit minister Circuncisionis Rom. 15. 8. Illud autem dico Iesum Christum ministrum fuisse circumcisionis. Deinde misit Christus discipulos ad Israelem primum docẽdum, Matth. 10. Disertis verbis idem significat Paulus cum Barnaba, Act. 13. 46. vobis necesse fuit primum exponi sermonem Dei: postquam autem repellitis illum & indignos vosipsos decernitis vita æterna, ecce conuertimur ad Gentes. Causam prærogatiuæ huius, quæ non in ipsis, sed in Deo fuit, expressam video Rom. 15. 8. Christus, inquit, minister fuit Circumcisionis pro Dei veritate, vt confirmaret promissiones patrum. Hæc videtur illa necessitas quam expressit Paulus in Actis.

Instrumentalis.

Obseruationes locorum doctrinæ in hunc tractatũ de vocatione Iudæorum.

Hactenus applicauit vocationem ad Iudæos. Nunc quædã obseruanda sunt, 1. Videmus Paulum non contentum generali explicatione vocationis, ad speciẽ ipsam

descendere. An aliquis est huius rei vsus? Vide Act. 13.48 vbi cũ applicasset Paulus vocationem ad gẽtes, dicitur, gentes, hęc cum audirent, gauisas esse, & glorificasse sermonem Domini, & credidisse quotquot erant ordinati ad vitam. Ergo quo specialior est doctrina Euangelij, eò plus consolationis & gaudii secum affert. Quid si igitur non ad gentem totam modò applicetur, sed ad certam personam: annon maior existet consolatio? Ita Paulus 1. Tim. 1.15. generalem doctrinam de salute in Christo sibi applicat, speciatim. Postquam enim in genere proposuisset Christum Iesum venisse in mũdum vt peccatores seruaret, subsumit, quorum primus sum ego, vt cõcludat, ergo vt me seruaret. Sic igitur salutem sibi in specie applicauit. Nõ me latet quid hîc Pontificii respondeant, speciali quadam reuelatione cõpertum sibi illud Paulum habuisse de se. At quid idem s.b-iicit eodẽ loco? vt essem, inquit, exemplo credituris ipsi in vitam æternam. Quibus verbis nemo non videt, modò videre velit, consilium Dei esse, vt singuli credituri exemplo Pauli ad Christum confugiant, & salutem in eo peculiariter sibi applicent. Nihil hîc moror illorum anathema, modò sint qui de medio tollant consolationem

1. Quo specialior est Euangelii doctrina, & pluribus manifestatur, eò plus cõsolationis & gaudii secum adfert.

Teste ipso Paulo.

De cuius fiducia Pontificii male sentiunt, qui, refelluntur duplici argumento.

1

2

illam Scripturarum, de qua Rom. 15.4. qu omnino non potest esse sine applicatior particulari.

2. Discimus hoc loco duplicem esse v sum prouidentiæ & electionis Dei : pric rem, in excludendo merita & opera cre turæ, atque hinc est quod Scriptura ex di metro opponat opera & Dei propositun Rom. 9.11. vt propositum Dei, quod est se cundum electionem ipsius, id est, non e operibus sed ex vocante, firmum maneret 2. Tim. 1.9. Qui vocauit nos, non ex operi bus nostris, sed ex proposito & gratia. At que hoc non solum locum habet in ips prædestinatione & electione, verumetian in executione electionis. Nullũ enim hi meritum nostrum interuenit. Contra fit ii executione reprobationis: interuenit enin semper inter decretum & decreti execu tionem peccatum, tanquam meritum. Po steriorem propositi diuini vsum discimus, in compescendo curiositatem nostram, ne laboremus nimium in quęrendis causis fa ctorum & operum Dei, vt operarij illi con ducti à patre familias qui mitterentur in vineam, Matth. 20.1. & deinceps. Insignis est locus de hac re. Act. 15.18 Principio om nes qui professi sunt Christum, ipsi etiam Apostoli, valde solliciti erant de vocatio-

2. obseruatio altera : Duplex est vsus doctrinæ de electione Dei Prior. Scriptura proposi tum Dei operib. ex diametro opponit,

Tum in electione, tũ in electionis exe cutione: in re probatione non item

Alter vsus. Compescẽda curiositas.

Quod docetur in Parabola operarũ

Apostolorũ disceptatio nes.

ne g

ne gentium. Cum multa fuisset disceptatio sententiam dixit Petrus: eam comprobarunt Paulus & Barnabas. Postremò surgens Iacobus, postquam eandem sententiam testimoniis Scripturæ confirmasset, subiecit hæc verba. Nota sunt Deo ab omni æuo omnia opera sua. Quibus verbis reueretur illud Dei æternum propositum de vocatione gentium, & in eo, seposita omni curiositate, quiescendum docet suo exemplo. Deus enim nemini obstrictus, quoscunque, quandocunque libuit, vocat. Tantùm danda est opera vnicuique, vt ad metam in offenso cursu, nihil in alium, vel in Dei iudicia inquirens, perueniat.

Iacobi dicto Et perpetua scripturæ exhortatione.

3. Disces hîc præterea consilium Dei semper esse efficax: vt enim prouidentia eius non est otiosa, sed decernit, quæ prouidet, ita etiam decretum efficax est, & quod decreuit facit suo tempore.

3. Tertia obseruatio. Cōsilij diuini efficacitas.

In quo sperastis. Nunc applicat vocationem ad gentes duobus versibus: vbi consideranda sunt primùm tria vocationis Gentium argumenta, ex quibus concluditur & Gentes in sortem ascitas esse. Nam hoc ἀπὸ κοινοῦ repetendum series ipsa contextus indicat. Deinde consideranda est descriptio quædam Spiritus vers. 14. Qua occasione id fiat audiemus.

Posterior applicatio specialis ad Gentes, in quarū vocatione tria argumenta expendenda occurrunt.

Primum, à Gentium fide & spe.

Primum argumentum in textu occurri spes cum antecedente fide, effectum nimi rum vocationis, vt supra admonuimus *Sperastis & vos in Christo.* Ergo etiam i sortem adsciti estis.

Alterum, ab auditione verbi Dei,

2. Argumentum in serie textus ex h tribus tamen natura primum, sumptum e ab auditione verbi. *Audiuistis,* inquit, *se monem veritatis* : ergo in sortem adsciti e stis. Exprimitur autem his verbis, *Audi sermone veritatis*, hoc est, postquam aud uistis sermonem veritatis. Ex quibus ve bis apparet spem cum fide ex auditu ess

Quod sermo veritatis appellatur. idq; duplici nomine.

eúmque sequi naturæ ordine. Videndu autem cur Euangelium appellet *sermone veritatis* : nam sermonem veritatis per E uangelium salutis exponit Apostolus. Pr

1. Propter autorem, qui est veritas ipsa,

mùm Deus ipse est infinitè sapiens : hin est quòd omnium rerum vera cognitio in mente ipsius. Heb. 4. 13. Omnis res cre ta manifesta est in conspectu ipsius. Dei de veram hanc rerum omnium notitiar quæ est in mente sua, duobus modis oste

Elucens in verbo ipso.

dit, verbo & operibus. Verbo quidem stendit veritatem testatur Christus, Ioan. 1 17. Postquam enim dixisset, Sanctifica e tua veritate, vbi manifestetur illa verit subungit (sermo tuus veritas est.) Idem

Et in operib.

hoc loco discitur. Operibus vero osten

veritatem habemus. Num. 23. 23. Ipse dixit, & non faciet? ipse locutus est, & non præstabit illud? Verbi duæ partes sunt, Lex & Euangelium. Vtrumque est instrumentum veritatis. Hoc vero loco κατ' ἐξοχὴν vocatur Euangelium sermo veritatis. Nam post quam proposuisset sermonem veritatis, declarationis loco subiecit Euangelium salutis. *Euangelium salutis* dicitur quod sit lætum & fœlix nuntium salutis. Euangelium non solùm nuntiat nobis salutem, sed etiam patefacit illam iustitiam Christi, qua fit vt seruemur, totámque rationem redemptionis nostræ in Christo, incarnationem, humiliationem, exaltationem denique Christi. Verùm quia salus nostra præcipua pars est nuntii & finis reliquarum, propter quæ eum credimus cæteris, ideo eius potissimùm fit mentio. Sciendum est præterea non nudè & inefficaciter Euangelium nuntiare nobis salutem: sed esse illud, potentiam Dei ad salutem, hoc est, esse nuntium efficax per Spiritum S. qui dum omnia historicωs narrantur, & explicantur, operatur in cordibus nostris resipiscentiam & fidem, qua efficacia differt Euangelium à Lege.

2. Propter ipsum illud verbum, Euangelium salutis dictum.

Hactenus explicata sunt duo argumenta vocationis gentium. Sequitur tertium his verbis, *postquam credidistis.* verba o-

Tertium argum. ab effectu fidei.

stendunt effectum esse fidei, quo arguitu[r] etiam Ephesios in sortem adscitos esse & vocatos. Effectus autem est donum Spiritus S. præsertim regenerationis, quod sequitur fidem, quia postquam credidimu[s] promissioni vitæ æternæ in Christo, ho[c] dono regenerationis, tanquam sigillo, & impressa imagine Dei (est enim sanctificatio ad Dei imaginem) obsignatur, & confirmatur hæreditatis illa promissio. Similiter arguit ex sanctificatione vocationem Petrus, Act. 15. 9. Nihil, inquit, discreuit inter nos & illos fide purgatis eorum cordibus, hoc est, ostendi, se vocasse illos æquè ac nos, per sanctificationem & purgationem cordium, quæ sequitur fidem in Christum. Sed ipsum verbum, quo vtitur hîc Apostolus nobis expendendum est. Verbum σφραγίζεσθαι significat obsignare, testificandi, muniendi, seu ratificandi causa: sic vt quod obsignatum sit, maneat ratum, authenticum, & inuiolabile. Hanc vocem reperies in hoc significato Mat. 27. 66. Ioan. 3. 33. Apocaly. 7. 2. & deinceps, & 10. 4. & 20. 3. 2. Cor. 1. 22. & hoc loco. Item huius Epistolæ cap. 4. 30. Est autem verbum translatum hoc loco à diplomatis præsertim, quæ obsignari solent. Vt enim literæ illæ obsignantur, vt sint ratæ & authenticæ, ita pro-

is est, donum regenerationis,

Quæ est sanctificatio ad Dei imaginē

Donum aūt illud, seu promissio vitæ æternæ, obsignatur in cordibus nostris:

Metaphora sumpta à diplomatis:

missio adoptionis obsignatur in cordibus nostris, vt sit rata quasi & authentica. Hoc illud est, quod adhibito proprio verbo significat. 1. Corinth. 1. 6. Prout testimonium Christi confirmatum fuit in vobis, adeò vt nullo dono deficiamini.

Sed explicabo apertius comparationem. In diplomatis quatuor sunt, 1. Res ipsa inscripta, vt contractus, aut quid tale. 2. Atramentum, quo scribitur. 3. Tabulæ, in quibus inscribitur. 4. Sigillum, quo res scripta obsignatur & confirmatur. His respondent, quæ sunt huius negotii similia quatuor. Primum est ipsa promissio adoptionis & hæreditatis. 2. Spiritus, tanquam atramentum, quo scribitur promissio. 3. cor, tanquam tabula, in qua inscribitur. 4. donum Spiritus S. tanquam sigillum appensum promissioni tabulis cordis inscriptæ, ad confirmandam & ratificandam scriptam promissionem. De scriptione promissionis in corde habes 2. Cor. 3. 2. Epistola nostra vos estis inscripta. & ver. 3. declarans quod dixit, ait, dum palam fit vos esse epistolam Christi, subministratam à nobis, inscriptam non atramento, sed Spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis. Quibus verbis habes & quod scriptum est, nempe, doctrinam Chri-

Cuius translationis ratio expenditur, & ad 4. diplomatum circunstantias reuocatur.

1. Res ipsa, seu materia contractus.

2. Atramentum, Spiritus Dei.

3. Tabulæ, corpurum.

4. Sigillum, donum S. Spiritus.

Confirmatio ex aliis locis petita.

sti, & id quo scriptum est, nempe, Dei Spiritum, & in quo scriptum est, nempe, tabulas cordis carneas.

Promissionē quō Spiritus inscribit in corde.

Verùm, quomodo inscribit Spiritu promissionem in corde? Nimirum per fidem: dum enim Spiritus excitat fidem, & fides apprehendit promissionem, perficitur hæc, de qua loquimur, inscriptio. De obsignatione autem habes hoc loco & 4 huius, 30. 2. Cor. 1. 22. Appellatur autem hic Spiritus, *promißionis Spiritus*, quia obsignat promissionem adoptionis in cordibus nostris. Paulus Rom. 8. 15. de duplici spiritu loquitur: spiritu seruitutis ad metum, & spiritu adoptionis, testante vna cum spiritu nostro nos esse filios Dei. Hic vnus idémque est re Dei Spiritus S. qui in nobis diuersis modis efficax est: vno modo, ad legis prædicationem, dum proposita conditione, quam præstare non potest homo, intulit terrorem, qualis solet esse serui metuentis iram domini sui. Altero modo, ad Euangelii prædicationem efficax est: dum proposita conditione fidei, quam ipse Spiritus in nobis gignit, excitat in nobis amorem, qualis solet esse filii erga parentem. Vnde per eum clamamus Abba, id est, Pater. Atque hic est ille Spiritus, quem hoc loco vocat Spiritum pro-

Cur promissionis Spiritus appellatur.

Vnus & idem re, in nobis efficax est diuersis modis.

Spiritus seruitutis.

Spiritus adoptionis, qui & hoc loco spiritus promissionis.

missionis.

Qui est arrhabo.. Hactenus explicata est vocatio Ephesiorum. Sequitur nunc vt dicamus de descriptione Spiritus, de qua secundo loco agendum proposuimus. Spiritus ille promissionis Sanctus describitur ab vsu suo respectu nostri, qui rursus ad gloriam Dei refertur. Vsus Spiritus respectu nostri est his verbis, *Arrhabo hæreditatis.* Vocabulum hoc bis legitur 2.Cor.1.22. & 5.5. Translatum autem est ab iis qui emunt & vendunt. Vt enim in contrahendo arrha est, qua confirmantur vendentes se recepturos reliquum & totum pretium: ita inchoatum regenerationis donum est, quo confirmamur nos recepturos quicquid in fœdere promissum est. Potest esse & altera quædam similitudo vt arrha est pars pretii totius, & cum numeratur pretium, censetur vt pars quædam pleni pretii: ita regeneratio nostra inchoata est quasi pars quædam æternæ vitæ, & perfectæ illius summæ, quæ in hac vita promissa, in altera plenè persoluetur. Non enim in altera vita peribit quod inchoatum est, sed perficietur. Vsus hic regenerationis Spiritus circumscribitur tempore & duratione, nempe dum in libertatem vindicemur, vel, quod idem est, ad redemptionem

Explicata Gētiū vocatione describitur Spiritus Dei.

Ab vsu suo respectu nostri.

Translatione ducta ab ementibus & vendentib.

Quæ figurata locutio dupliciter consideratur.

Vsus ille respicit redemptionem nostram,

Inchoatam, qua fruimur in hac vita,

vindicationis Dupliciter accipitur redemptio: partim enim redemptionis nomine intelligitur inchoata hæc redemptio, qua redimimur quidem à peccato & morte, sed non plenè. Nam tantisper manemus sub aliqua peccati seruitute, quantisper non est plena regeneratio. Etsi enim in Christo remissa sunt peccata nostra, & hactenus plenè liberi sumus: tamen quia in nobis reliquum est peccatum, aliqua seruitutis specie premimur. Partim deinde redemptionis nomine intelligitur perfecta illa & consummata redemptio, qua & in Christo, & in nobis plenè liberi erimus à peccato & morte. De hac redemptione Rom. 8. 23. Adoptionem expectantes, hoc est, redemptionem corporis nostri: de hac etiam hoc loco. *Ad laudem.* Hic est summus finis & præcipuus, quo refertur vsus Spiritus, qui est respectu nostri. De hoc fine supra non semel. Nunc de eo hoc tantùm dicemus. Bonum nostrum & vtilitatem nostram refert Apostolus ad Dei ipsius gloriam. Vnde sequitur oportere gloriam Dei esse regulam omnium bonorum, quæ nobis sunt expetenda, atque ita optanda esse omnia, quæ nobis alioqui vtilia sunt, si cum Dei gloria possint consistere.

Et perfectam, quum & in Christo, & in nobis plenè liberi erimus à peccato & morte.

Finis ad quem vsus spiritus refertur, respectu nostri

15 *Propterea etiam ego, cùm audissem eam,*

quæ in vobis est, fidem in Domi no Iesu, & charitatem in omnes sanctos,
16 *Non desino gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in precibus meis,*
17 *Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater ille gloriæ, det vobis Spiritum sapientiæ & reuelationis, per agnitionem ipsius:*
18 *Illuminatis oculis mentis vestræ, vt sciatis quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis.*

Propterea etiam. Quarta pars capitis, in qua arrepta occasione ex præcedenti Ephesiorum vocatione, digreditur ab instituta inductione in locum quendam beneuolentiæ, quo indicat gaudium suum de fructibus vocationis ipsorum conceptum, nempe, fide & charitate. In hac igitur gaudii significatione primùm habemus causas concepti gaudii: deinde modum quo gaudeat, nempe, gratias agendo & petendo: tertiò habemus summam petitionis.

IIII. Quarta pars capitis. Digressio de Apostoli gaudio, ob fidem & charitatem Ephesiorum. In hac gaudii significatione tria occurrũt.

1. Causę gaudii.

Causæ igitur gaudii sunt fides & charitas. Duobus his continetur officium Christiani hominis: fide in Deum, & Dominum Iesum: charitate in homines, præsertim sanctos. Nam si chari sunt nobis homines propter Deum, sanè quo quisque est Deo coniunctior, eò charior esse debet. Hæc

Fides in Deũ & Christum.

Charitas erga homines, præsertim sanctos.

duo petenda sunt ex duabus verbi partibus: fides in Euangelio propriè, charitas ex Lege. Nam Euangelium offert salutem sub conditione fidei, Rom. 10.9. Si confessus fueris ore Dominum Iesum, & credideris corde, quod Deus eum excitauit à mortuis, seruaberis. Vnde ibidem dicitur Euangelium verbum fidei. Lex verò offert vitam sub conditione perfectæ charitatis in Deum & proximum, Gal. 3.11. Qui fecerit ea homo, viuet in ipsis, Rom. 13.10. Legis expletio est charitas. Ordo horum hic non est prætermittendus, fides priùs, charitas posterius nominatur. Fides enim causa est, charitas effectum: postquam enim credidimus, charitatem in nobis renouat idem Spiritus Christi, qui reliquas animi facultates, & affectus omnes regenerat. Obserua igitur Legem non esse in nobis efficacem priusquam audiamus Euangelium: deinde Euangelium non abolere Legem, imò verò eam stabilire, Rom. 3.31. Legem igitur inanem reddimus per fidem? absit: imò legem stabilimus.

Harum virtutum fontes.

Euangelium

Lex.

Qui doctrinæ ordo obseruandus aduersus iustitiarios

Hactenus de causa gaudii: sequitur modus. *Gaudium* hoc Pauli est in Deo authore fidei & charitatis conceptum ídque duobus modis: 1. gratiarum actione, 2. petitione sapientiæ, qua dirigantur fides & chari-

2. Modus gaudii.

Obseruationes.

tas ipsorum. vers. 16. Hîc quædam obseruanda sunt priusquam longius abierimus. 1. Paulus commotus charitate erga Ephesios gratulatur ipsis: Vnde vera est illa sententia. 1. Cor. 13.6. Charitas gratulatur cuicunque virtuti & Dei dono. Vera itaque est illa altera sententia ibidem, Charitas non inuidet. Admonitio. Cauendum igitur ne cuiquam inuideamus Dei beneficia, præsertim spiritualia, neque eo tantùm contenti simus, verùm virtutem & dona Dei cuiuis gratulemur. 2. Discrimen est inter mundanos & verè Christianos, & quoad causas gratulationis, & quoad modum. Terrena hæc mouent gratulationem & gaudium mundano, non cælestia (neque enim capax est cælestium) siquando amicis suis gratulatur: cælestia verò mouent gratulationem verè Christiano, siquando amicis suis gratulatur. Mundanus tribuit gloriam eorum, quæ amicis gratulatur, hominibus ipsis, admirans eorum sapientiam, prudentiam, diligentiam, virtutes denique reliquas. Christianus verò agnoscens Deum authorem omnium gloriam Deo tribuit, gratias agit illi, petit ab eo quod necessariò est petendum.

1. Charitas gratulatur cuicunque virtuti & Dei dono.

Absit igitur inuidiæ prauus affectus.

2. Discrimen constituendũ inter causas & modũ gratulationis mundanorum & piorum.

Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, Pater ille gloriæ det vobis. Hactenus de causis

3. Petitionis summa.

Cuius duæ sunt partes.

concepti gaudii, & de modo: sequitur petitionis summa. Eius quod petit primùm habemus propositionem: deinde propositionis declarationem:&eam quidem partim per definitionem sapientiæ, partim per modum quo Deus creat hanc sapientiam, partim denique per sapientiæ partes. Propositio est, vt Deus det ipsis Spiritum sapientiæ. Deum ornat duobus titulis. 1. vocat Deum Domini nostri Iesu Christi. 2. vocat Patrem gloriæ. Appellat Deum Christi, non quidem respectu diuinæ naturę, sed humanę. Deus enim homo factus est. Nam si diuinam respicias naturã, Christus Deus est idem & vnus cum Patre & Spiritu S. sin verò humanam, inferior est Deo: nam nulla creatura, ne Christus quidem ipse, qua homo est, cum creatore est comparanda. Habetur hîc præterea fœderis ratio. Nam Deus est eorum propriè, quibuscum fœdus pepigit. Verba enim fœderis sunt, Ero Deus tuus, & Deus seminis tui. Sic vocatus est Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi: ita etiam hoc loco Deus Christi appellatur, & non immeritò. Nam fœdus primùm ad Christum pertinet (loquor præcipuè de legali illo siue naturali fœdere) quia solus conditioni operum, qua promissio facta est in fœdere, satisfecit. Deinde per & pro-

1. Propositio, in qua Deus, Christi Deus dicitur, & quidem respectu humanæ naturæ.

Fœderis item habita rõne.

Et quidem duplici nomine.

pter eum ad nos ſpectat: vnde Deus noſter eſt, quia Deus Chriſti. Deinde appellatur Pater gloriæ. Pater vocatur non Chriſti ſolùm per naturam, ſed noſter etiam per adoptionem. Dicitur *Gloriæ Pater*, vt diſtinguatur à communi patrum cõditione: nam multi patres ſunt, ſed vnus eſt gloriæ. Idem iudicandum eſt de aliis appellationibus, quas Deus communicat hominibus: multi Reges ſunt, ſed vnus eſt gloriæ: multi domini ſunt, ſed vnus eſt gloriæ. Notandum eſt hũc titulum eſſe effectum prioris. Nam niſi Deus noſter factus fuiſſet Chriſti Deus, dum ille noſter frater fieret, aſſumpta natura noſtra, profecto nunquam factus fuiſſet Pater eius noſter Pater. Chriſtus ipſe, Ioan. 20. 17. agnoſcit vtrunque hunc Dei titulum: Aſcendo ad Deum meum, Deum veſtrum: Patrem meum, Patrem veſtrum. Ex hac interpretatione reſponderi poteſt hæreticis qui afferunt hunc & ſimiles locos aduerſus Deitatem Chriſti.

deinde, Deus Pater gloriæ nominatur.

Qui titulus, prioris effectum eſt.

Teſtimonio ipſius Chriſti

Sequitur nunc id quod petit à Deo in gratiam Epheſiorum, nempe, ſapientia & reuelatio, quæ tanquam fax quædam fidei & charitati eorum præferatur. Idem beneficium re, duobus nominibus expreſſum: quæ nos ſigillatim expendamus. Quod ad primum igitur nomen attinet, Sapientia

2. Propoſitionis declaratio, in qua expetit Epheſiis à Deo,

1. Sapientiam, quæ duplex eſt.

duplex eſt, altera eſt increata illa, quæ &
eſſentia Dei patris, Filii, & Spiritus S. eſt:
nihilq; aliud eſt, quàm ipſe Deus ſolus ſa-
piens. Poſita autem eſt in eo quod Deus ſeſe
& ſua opera intueatur, cognoſcat, & con-
templetur. Si quando inueneris ſapientiam
hanc à Deo diſtinctam, vt cum dicitur Deus
per ſapientiam ſuam aliquid facere, tum in-
telligendus eſt Filius Dei, qui ideò Sapien-
tia dicitur, quòd per eum Deus creet ſapi-
entiam in nobis. Sed hæc ſapientia non eſt
huius inſtituti, niſi qua ratione principium
eſt, & cauſa alterius. Altera igitur creata eſt.
Ea autem eſt, quam Deus per Filium ſuum
creat in nobis: & poſita eſt in cognitione
Dei & operum ipſius: éſtque obſcura quaſi
imago quædam perfectæ illius ſapientiæ,
quæ eſt in mente diuina. De hac ſermo eſt
hoc loco. Verùm non intelligenda eſt hîc
nuda tantùm cognitio (nuda enim dûnta-
xat cognitio Dei & operum ipſius ſalutaris
non eſt,) ſed etiam ſenſus quidam bonita-
tis eius in cordibus noſtris; de quo Rom. 5.
5. Charitas (nempe qua Deus nos diligit)
effuſa eſt in cordib. noſtris, per Spiritum S.
qui datus eſt nobis. Ex hac enim cognitio-
ne cum ſenſu bonitatis coniuncta, exiſtit
fides, dilectio, & timor Dei. Hactenus de
primo nomine.

Increata, nempe Deus ipſe: & de ea hîc non propriè agitur.

Creata, quæ in cognitione Dei & operum ipſius poſita eſt.

Quid ſit illa cognitio.

Huius fructus

Secundum nomen eſt *Reuelationis.* Rationem eius licet petere ex 1.Cor.2.9.Sapientia enim hæc eſt de iis, quæ præparauit Deus diligentibus ipſum, quæ oculus non vidit, auris non audiuit, & quæ in mentem hominis non venerunt, ſed Deus ea reuelauit nobis per Spiritum S. Ergo ſapientia hæc reuelatio dicitur, quia Deus eam reuelauit. Diuina hæc reuelatio duobus modis accipi ſolet, partim enim extra ordinem reuelata eſt hæc ſapientia, vt Apoſtolis: de qua reuelatione vide 1.Cor.14.6. partim ordinario modo, per auditum verbi, per doctrinam, & ſcientiam: & de hac reuelatione hîc ſermo eſt. Appellat *Spiritum ſapientiæ*, quia Deus per Spiritum ſuum creat eam in nobis. Deus ab initio multis modis, & variis inſtrumentis vſus eſt ad gignendam in nobis hanc ſapientiam. Primum in creatione adhibuit modos partim externos, partim internos. Externos adhibuit primum mundi fabricam, in qua, tanquam in ſpeculo intueri poſſet homo creatorem: deinde verbũ ſuum: præcepit enim homini, quod voluit eum facere. His adiecit internam & efficacem rationem cognitionis ſuæ: dedit enim illi mentem, tanquam oculum animi, in qua inſculpſit notitias, tanquam totidem regulas & normas piè & honeſtè viuendi:

2. Reuelatio, quæ duplex eſt.

Extraordinaria.

Ordinaria, de qua hîc ſermo

Quæ variis mod. in homine gignitur.

Ante lapſum, per mundi fabricam.

Per mandatũ expreſſum.

Per internam rationem cognitionis ſuæ ſeu legem naturæ.

quam Paulus legem naturæ vocat, re non differentem à lege scripta. Post lapsum etiam variis modis hominem instituit, primùm externis: vt operibus suis, partim ordinariis, partim extraordinariis: vt verbo vel legis, quo se cognoscendum præbet in Iustitia sua: vel Euangelii, quo cognoscitur in misericordia. Deinde interno modo instituit hominem, nempe Spiritu suo, quo eum regenerat, illuminando mentem, & reformando malas inclinationes volũtatis & affectuum. De hoc docendi modo nempe, qui est per Spiritum, loquimur isto loco. Et ab hoc modo dicitur sapientiæ Spiritus, hoc est donum sapientiæ per Spiritum S. subministratum.

Post lapsum. per verbum

Legis,

Euangelii,

Per Spirit. S.

Qui hoc loco dicitur sapientiæ Spiritus.

Obseruationes locorum doctrinæ.

Atque hæc de propositione petitionis, ex qua hoc tantùm discimus. Paulus, dum gratias agit Deo propter fidem & charitatem Ephesiorum, petit à Deo, vt det iis sapientiam, vt qua dirigant fidem & charitatẽ. Disce igitur: Sapientia & cognitio Dei, præsertim ex Euangelio percepta, est quasi fax quædam prælata fidei & charitati, omnibúsque facultatibus animi nostri, actionibus denique humanis quibuscunque rectè administratis, vt illæ prælata quasi hac face, rectè dirigantur. Christus, Lucæ 11.34. hæc ait, Lucerna corporis oculus est, oculus si

1. Sapientiæ & cognitionis Dei in Euangelio patefactę prębstantia.

lus si simplex fuerit, totum corpus lucidum erit: significans, si mentis oculus lucidus fuerit, totum corpus actionum ipsius lucidum fore. Sed si, inquit, oculus malus fuerit, totum corpus tenebricosum erit: significans, si oculus mentis cęcus fuerit aut lippiens, omnes actiones humanas tenebricosas fore, & malè administratas. Hinc collige, vt quisq; affectus est ad cognitionem Dei, ita se habent omnes actiones eius: nam hoc respectu, vel bonę, vel malę sunt. Danda nobis igitur opera est inprimis vt Deum cognoscamus, vt hac quasi face prælata, rectè informemus omnes actiones vitæ nostræ.

2. Filiorum lucis felicitas.

3. Filii tenebrarum infelicissimi.

Applicatio.

Per agnitionem ipsius. Nunc explicat propositionem. Primùm definit sapiētiam per agnitionem Dei. De hac quia satis dictum esse videtur, nunc hoc tantum dicemus. Nihil est quo homo magis antecellit naturam brutorum & quo propius accedit ad Deum, eúmque magis refert, quàm cognitione: cuius quidem ea præstantia est, vt cognitio tantum operum Dei, & creaturarum effecerit vt omni ętate homines etiam Ethnici penè dii sint habiti. De cognitione verò Dei ipsius, quid possumus dicere, nisi eā esse hominis summā perfectionem & beatitatem. Hoc si nihil aliud doceret, sanè ar-

Propositionis explicatio.

Locus de cognitionis Dei fructu.

Cognitio operum Dei.

Dei ipsius in verbo manifestati.

gumentum satis magnum peti posset à sen-
su calamitatum quibus opprimitur homo
in hac vita. Quid est in causa cur videamu
quosdam, dum malis opprimuntur, prorsu
deiectos, etiam infra sortem brutorum
Nulla profectò nisi defectus cognitioni
Dei. Quid est in causa rursus, cur alios af-
flictos videamus, tamen nihil commoueri
Sanè cognitio Dei, in qua in mediis etiam
calamitatibus requiescunt. Ergo, cum ab-
sentia cognitionis Dei, miseros: præsenti
verò beatos & plenos consolationis effi-
ciat: in Dei cognitione sitam esse oporte
beatitatem ipsam. Cognitionē autem ea
intelligo, quæ est coniuncta cum sensu bo-
nitatis Dei, ex qua fides, vt supra attigimu
Quod cùm ita sit, consilium est, vt eo tam-
quam remedio certissimo aduersus omne
calamitates, quæ contingunt nobis in ha
vita, vtamur.

Huius cognitionis præstātia, à remotione cernitur.

Item à præsentia sua.

Cognitio salutaris.

Illuminatis oculis. Secunda pars declara-
tionis à modo & ratione, qua Deus per Sp-
ritum gignit in nobis sapientiam, nemp
illuminatione oculorum mentis. Deus in in-
tio, cùm hominem crearet ad imagine
suam, dedit illi animā instructam primu
intellectu perfecto: deinde voluntate san-
cta & benè affecta. Nam hæ sunt præcipu
facultates animæ nostræ. Hoc itaque lo

Explicata propositionis sūma, alteram partem aggreditur, de propositionis declaratione eiusdemq; declarationis secunda parte.

intellectum vocat *oculum mentis* : quia vt oculus corporis illuminat totum corpus, ita mens animi illuminat totum animum. Post lapsum amisit homo, inter cætera, perfectum hoc lumen mentis, præsertim in iis cognoscendis, quæ ad Deum pertinent: quorum non remansit, nisi obscurissima quædam cognitio, quanta nimirum sufficiat ad reddẽdum hominem inexcusabilem, Rom. 1. 20. Deus itaque, malũ hoc in Christo resarciens, renouauit mentem, illuminauit oculũ ipsius, cuius acies, iam magna ex parte extincta fuit. Et hæc est illa, de qua hîc sermo est, illuminatio. Atque hæc de secunda parte declarationis.

In qua de lumine mentis & eius renouatione agitur

Nunc pauca quædam obseruamus: 1. Discimus hîc discrimen inter Spiritum Dei docentem & alios doctores quoscunque. Alii doctores, dum docent, ingenium discipuli fingere non possunt, & ex indocili docilem eum reddere. At verò Spiritus Dei ea vis est, vt inter docendum reddat hominis animum aptum ad ea quæ docet percipienda. 2. Disce vnius eiusdémque Spiritus docendi rationem, aliam dum docet per Legem, aliam dum docet per Euangelium. Docens per Legem non simul reformat animum ad obedientiam: docens verò per Euangelium, simul reformat animum ad fi-

Obseruationes locorum doctrinæ.

1. Discrimen docentium.

2. De duplici ratione docẽdi qua vtitur Spiritus S.

dem. Nemo igitur quantumuis hebes detrectet auditionem verbi Dei, præſertim Euangelii, cum per verbum auditum Spiritus Dei vna eadémque opera, & doceat, & animum reformet, atque illuminet.

iij. pars declarationis, ſapientiæ illius partes proponens.

Vt ſciatis quæ ſit ſpes. Nunc de tertia parte declarationis agitur, in qua ſapientia illa propoſita per partes ſuas illuſtratur. Partes ſapiētiæ & cognitionis Dei diſtinguuntur ex rebus cognoſcendis, quæ duæ ſunt Prima, ſpes ad quam vocauit nos, hoc eſt, vita illa æterna, poſt hanc vitam futura. Secunda potentia Dei agentis in nobis etiam in hac præſenti vita. Hæ duæ partes ſunt cognitionis Dei, vt ſe patefecit in Euangelio. Prior pars eſt in his verbis, *Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ipſius,* hoc eſt, quæ ſit ſpes ad quam vocauit vos. Per ſpem intelligo rem ſperatam. Quæ autem ſit illa res ſperata, ipſe declarat verbis ſequentibus *& quæ opes gloriæ hæreditatis ipſius.* Accipio enim verba poſteriora tanquam interpretationem priorum ſubiectam. Sic enim Petrus 1. Epiſt. 1. 3. 4 cùm dixiſſet Deum regenuiſſe nos in ſpem viuam, ſubiungit illius ſpei declarationem exponens eam hæreditatem illam ſperatam, quæ nec perire poteſt, nec contaminari. Ergo res ſperata eſt hæreditas illa. Hæreditas hæc propriè ac

Nempe ſpem ad quam vocati ſumus: & Dei potentiam.

Quæ ſit ſpes noſtra.

& res ſperata.

Hereditas,

Christum pertinet, quia naturalis Dei Filius est: nobis deinde communicatur, quia filii Dei sumus per adoptionem. Si enim, inquit Paulus, filii sumus, hæredes sumus, hæredes quidē Dei, cohæredes verò Christi. Tum ostenditur quàm excellens sit hæc hæreditas, & ad quos pertineat: excellentia eius indicatur his verbis, *opes gloriæ*. Quærunt homines gloriam, & eam quidem amplam ac copiosam, ab huiusmodi gloria commendatur nobis hæreditas ista. Hæreditas est gloriosa, sed eius gloria est diues & opulenta. Sic enim magnitudinem eius, quam nos non possumus capere, nobis adumbrauit. Ad quos pertineat ea hæreditas, ostenditur, dum addit, *in sanctis*. Nam ad sanctos solos pertinet, nisi enim quis regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Sed de iis ad quos pertineat hæreditas illa paulò ante dictum est. Nunc venio ad alia, obseruādum est, quod dicit, *quæ sit hæc hæreditas*. Non enim satis est scire hæreditatem hanc esse, nisi sciamus etiam quid sit, hoc est, quæ sit eius natura. Verum quidem id est, nō posse nos, dum in hac vita sumus, quæ sit illa plenè cognoscere. Agnoscimus enim illud, oculum hominis non vidisse, aurem non audiuisse, in mentem hominis non venisse ea

cur & quo sensu res à nobis sperata dicatur.

Eius excellentia.

Ad quos pertineat.

Obseruatio doctrinarum in hanc vocē *Hæreditas*.

quæ præparauit Deus diligentibus ipſum: ſed tamen qui non inchoauerit vitam æternam in hac vita, illi vita æterna poſt hanc vitam non donabitur.

19 *Et quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ ipſius, in nobis, qui credimus pro efficacitate fortis roboris ipſius.*

V. Poſtrema capitis pars.

Et quæ ſit. Hoc verſu habes alteram partem ſapientiæ & cognitionis Dei, *Vt ſciamus*, inquit, quæ ſit magnitudo potentiæ ipſius. Potentiam hanc intelligo efficaciam Spiritus in credentibus, regenerationem & viuificationem noſtri; de qua fuſiùs 2. cap agetur. Atque hoc loco poſt digreſſionem reuertitur ad inductionẽ benedictionum quibus illuſtratur generalis illa propoſitio. Eſt igitur cap. pars quinta. Attribui potentiam hanc Dei efficacem credentibus, quia non ſequitur niſi Chriſtum fide apprehenſum. Nam poſtquam credidimus ſequitur in nobis Spiritus Chriſti efficacia Subnectit cauſam potentiæ huius *efficacitatem fortis roboris Dei.* Ergo cauſa eſt, robur Dei forte, non aliquid quod eſt in ipſo homine: deinde robur non otioſum, ſed efficaciter agens. Notandum hîc, deſcribi quam poteſt ſublimibus verbis Dei erga nos beneficia, & beneficium illud æternæ

In qua reuertitur ad benedictionum inductionem. Quæ in agnitione magnitudinis potẽtiæ Dei in electis ſeruandis cernũtur.

Huius potentiæ cauſa.

vitæ ſuperiori verſu, & hoc verſu potentiam Dei, quæ exeritur in nobis in hac vita, vt & cauſam potentiæ huius, nempe, robur Dei. Deſcriptiones hæ non ſunt hyperbolicæ, verum neque opus Dei erga nos, neque gratia & potentia operans, vnquam ſatis pro dignitate, aut mente concipi, aut verbis exprimi poſſunt.

Et quidem magnificis verbis.

20 *Quam exeruit in Christo, cùm excitaui eum ex mortuis, & collocauit ad dexteram ſuam in cælis,*

21 *Longe ſupra omne imperium ac poteſtatem, & potentiam, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, verumetiam in futuro.*

22 *Et omnia ſubiecit eius pedibus: eúmque conſtituit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ*

23 *Quæ eſt corpus ipſius, & complementum eius, qui omnia implet in omnibus.*

Quam exeruit. Roboris Dei efficacis commendationem inſtituit ab effectu quodam ſuo maximè admirabili, in Chriſto glorificando: neque enim vnquam ita apparuit Dei potentia, vt in Chriſti reſurrectione & exaltatione. Eſt igitur hęc digreſſiuncula quædam ab inſtituta illa Dei potentia in nobis, ſiue viuificatione noſtri, ſed cum ea valdè coniuncta. Eſt enim, vt

Hæc autem Dei potentia in Chriſti exaltatione & maieſtate cernitur.

ex ſequenti cap. apparet, effectum illud p
tentiæ Dei in Chriſto excitando ex moı
tuis & glorificando, cauſa viuificationis no
ſtræ: Virtute enim reſurrectionis Chriſ
viuificamur nos, & reſurgimus ad nouai
vitam. Effectum igitur hoc in Chriſto, pri
mùm proponitur verſu 20. Deinde expli
catur præcipua eius pars: nempe, Seſſio a
dexteram Dei, ad finem vſque capitis. Pro
poſitionis ſententia hæc eſt: Deus exerui
efficacitatem roboris ſui in exaltation
Chriſti, quæ conſtat duabus præſertim par
tibus, Reſurrectione, & Seſſione ad dexte-
ram Dei.

Quæ beatitudinis noſtræ cauſa eſt.

exaltatio autem in reſurrectione & ſeſſione Chriſti cóſideratur.

Sed altius repetamus explicationem hu
ius effecti manantis ab ea cauſa. In hiſtoria
Euangelica duo leges de Chriſto, 1. Humi-
liatum eum eſſe & paſſum. 2. Exaltatum &
glorificatum. quas partes ſemel cóplexus
eſt Petrus, 1. Epiſt. 1. 11. Scrutantes, inquit, in
quem, aut cuiuſmodi temporis articulum
prænuncius ille, qui in ipſis erat Spiritus
Chriſti, declararet euenturas Chriſto per-
peſſiones, & gloriam illas conſecuturam.
Quod ad humiliationé attinet, Deus, cùm
humiliaretur Chriſtus, ipſe ſe exinaniuit,
forma ſerui accepta. Philip. 2. 7. Non quòd
imminuta eſſet Dei potentia, ſed quòd oc-
culta eſſet ad tempus, neque exereret ſe-

Exaltationem verò præcedit humilitas.

ſe. Quod verò ad exaltationem attinet, Deus exeruit ſuam potẽtiam, antea latentem, in Chriſto exaltando: id quod habemus hoc loco.

Exaltationis Chriſti omnino partes ſunt quatuor: Reſurrectio, Aſcenſio ad cælos, Seſſio ad dexteram Patris, Aduentus ad iudicium, vt in Symbolo Apoſtolico numerantur. Ex his partibus duas hîc habes: primam & tertiam. De ſecunda legemus cap. 4.8 huius Epiſt. De prima itaque ſic paucis habe. Dicitur Deus potentia ſua Chriſtum excitaſſe ex mortuis. Deus excitauit Chriſtũ, & vt Pater, & vt Filius. Vt Pater, Rom. 4.24. Qui credũt in eum qui excitauit Dominum noſtrum Ieſum à mortuis, & hoc loco. Vt Filius, Ioann. 2. 19. Deſtruite hoc templum (de templo corporis ſui loquutus eſt) & tribus diebus erigam illud. & 10. 18. Poteſtatem habeo deponendi animam, & poteſtatem habeo aſſumendi eam. Neque hæc contraria ſunt. Nam Deus Pater vt primus ordine efficiens per Filium, vt ſecundum ordine efficientem, excitauit Chriſtum, quà homo fuit. Hactenus de Reſurrectione Chriſti.

Partes exaltationis iiij.

Quarum prima & tertia hîc proponitur.

Reſurrectio, nempe, ex mortuis.

Nunc de Seſſione ad dexteram Patris. Ait Chriſtum collocatum ad dexteram Patris in cælis. De Chriſto homine hoc pro-

Et Seſſio ad Patris dexteram.

priè accipiendum, qui secundum quasi locũ potentiæ à Patre & Deo obtinuit. Nam dexteram accipio potẽtiam & dignitatem. Atq; hæc de propositione dicta sufficiant.

Obseruatio locorum doctrinæ generalis.

1. Ex Plenitudine Christi omnes accipimus.

2. Fons omnium beneficiorum quæ nobis conferuntur, resurrectio & gloria Christi.

Duo deinde obseruamus: 1. Deus exeruit potentiam suam & virtutem primum in Christo ornando omnibus donis, vt scriptum est: In eo inhabitat omnis plenitudo: vt ea deinde ex illo, tanquam capite, in nos, seu membra, dimanent, vt scriptum est, Ex plenitudine eius omnes accepimus. 2. Virtute Resurrectionis & gloriæ Christi in nos conferuntur omnia beneficia quæ habemus in Christo: vt enim Christus morte & humiliatione sua ea nobis meritus est, ita resurrectione & glorificatione applicat & confert. Nisi enim resurrexisset Christus, non fuisset qui ea cõferret: & nisi glorificatus fuisset, tam illustria dona ab eo non glorificato deriuari non potuissent. Legimus itaque interdum coniuncta ista duo, glorificationem Christi, & beneficia ipsius, vt Rom. 4. 25. dicitur Christus resurrexisse propter iustificationem nostri. hoc est, ad applicandam iustitiam suam nobis. Et cap. 4. 8. huius Epist. dicitur ascendisse, & dedisse dona hominibus. Et 10. eiusdem cap. ascendisse supra omnes cælos, vt impleret omnia.

Longe supra. Sequitur explicatio Sessionis ad dexteram Dei. Potentiam Christi, quæ intelligitur sessione ista, duplicem facit: 1. generalem in omnes creaturas. 2. specialem in Ecclesiam, cuius est caput. Generalem potentiam explicat primùm ex eminentia Christi supra omnes creaturas, deinde ex subiectione omnium creaturarum. Eminentia Christi exponitur ver. 21. vbi tribus circunstantiis amplificatur, sublimitatis gradu, amplitudine & duratione. Quod ad primam circunstantiam, ait, *longe supra omne imperium*: significans Christum non superiorem modò, sed longè superiorem omni authoritate creaturæ vel excellentissimæ. Comparatio non est diuinæ naturæ Christi eiúsq; potentiæ cum aliis potentiis. Nam nulla est comparatio Dei & creaturæ: sed comparatio est humanæ naturæ, quæ tamen excellit virtute deitatis coniunctæ. Humana enim Christi natura etsi non habeat infinitam potentiam, quæ solius Dei propria est, tamen obtinuit à Deo eam, quæ longo interuallo superet omnem potentiam creaturæ. Nam Spiritum suum illi non est admensus Deus, Ioann. 3. 34. & Philipp. 2. 9. sublimitas potentiæ eius summa appellatur. Deus ipsum in summã extulit sublimitatem. Hæc de gradu emi-

Potẽtia Christi, quæ sessione eius intelligitur, duplex est.

1. Generalis, & ea duplex.
1. Eminet supra omnes creaturas,

Sublimitatis gradu, etiam respectu humanæ naturę.

Authoritatis amplitudine.

nentiæ siue sublimitatis Christi. Sequitu amplitudo eminentiæ & authoritatis eius Ait Christum hunc superiorem omnibu imperiis. Nullius itaque excipit imperium excepto eius imperio, qui subiecit ei omnia, 1. Corint. 15. 27. Tertia circunstantia es temporis: *non solum in hoc seculo, sed etian futuro.* Nam Christi eminentia & authoritas æterna erit. Christus enim rex est æternus. Hactenus de eminentia & authoritate Christi. Nunc de subiectione creaturarum ver. 22. Amplificatur autem subiectio à gradu humilitatis infimo. Nam quemadmodum Christus est longè supra omnia etiam imperia, ita illa sunt longè infra eum: imò pedibus eius subiecta sunt omnia: quæ quidem hoc loco in genere posita, per partes suas explicantur, Philip. 2. 10. Vt ad nomen Iesu omne genu se flectat cælestium ac terrestrium & subterraneorum, omnísque lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum ad gloriam Dei Patris. Quibus etiam verbis subiectio ista summa ostenditur ab honore illo, quem deferunt Christo illa omnia.

Duratione temporis.

Altera generalis potentię pars, subiectio creaturarum.

Eúmque constituit caput. Sequitur potentia Christi specialis, quæ explicatur partim Christi ipsius authoritate & dominio, partim subiectione Ecclesiæ. Authoritas Chri-

2. Specialis potentia, in qua consideratur.

ſti eſt in eo, quòd ſit caput ſuper omnia, hoc eſt, ſupremum caput ipſi Eccleſiæ, in qua nihil eſt quod non ſubeſt ei. Caput ſuperius quidem eſt corpore, ſed cum eo valdè cõiunctum, illíque valdè beneficum ac liberale. Proximè enim ſuperimponitur corpori cui motum & ſenſum largitur. Ita Chriſtus ſuperior eſt Eccleſiâ, ſed cum ea valdè coniunctus, ipsíque beneficus ac liberalis: ſuperimponitur enim Eccleſiæ, vt caput corpori, quacũ coniungitur per vinculum Spiritus ſui, ipsíque largitur vitam ac motum ſpiritualem. Amplificatur hæc Chriſti authoritas in Eccleſiam amplitudine ſua: omnibus enim membris, nullo excepto, Chriſtus eſt caput, vt dictum eſt paulo antè.

Authoritas Chriſti, qui caput eſt Eccleſiæ.

Cui coniunctus largitur vitam ac motum ſpiritualem.

Quæ eſt corpus. Nunc de ſubiectione eccleſiæ viciſſim agítur. Ea intelligitur nomine corporis: corpus enim inferius eſt capite, ſed proximè inferius, ita eccleſia eſt inferior Chriſto, ſed proximè inferior. Nomine *complementi* declaratio eſt quædam corporis ex ipſius munere: corporis enim munus eſt complere, vt additamentum quoddam, caput, cuius præcipua dignitas eſt in homine. Poſtremò, ne videatur aliquid detractum perfectioni Chriſti capitis ex addito hoc eccleſiæ corporis com-

Et ſubiectio Eccleſiæ.

Quæ eſt corpus & complementum Chriſti.

plemento, subiicitur Ecclesiam quidem ita complementum esse Christi, quoad quantitatem, quasi hominis totius constantis capite Christo, & corpore Ecclesia, vt tamen Christus, quoad dona & spirituales virtutes, impleat omnia in omnibus membris Ecclesiæ suæ, ideóque nihil indigeat ad perfectionem virtutis suæ, corporis siue ecclesiæ complemento.

Ita tamen vt ad perfectionem virtutis suæ isto complemento non egeat.

Hactenus explicata fuit Sessio Christi ad dexteram Patris, nunc quædam obseruabimus: 1. Video hîc discrimen non obscurum inter generalem Christi potentiam & specialem. Christus generali sua potentia longè supereminet omnibus potentiis: speciali verò sese quodammodo submittit, & coniungit proximè cum Ecclesia sua. Ex hac coniunctione Christi & Ecclesiæ fit aliquando vt vterque & Christus & Ecclesia vno Christi nomine appelletur, 1. Corin. 12. 12 Gal. 3. 16. Fit etiam vt dicamur in Christo habere hoc vel illud beneficii, vt passim hoc capite & alibi. Neque enim per Christum tantùm Mediatorem habemus omnia, sed etiam in Christo, tanquam capite.

1. Discrimen duplicis potétiæ Christi.

2 Christi potentiam & Maiestatem tantùm adumbrauit nobis, comparatione facta cum reliquis potentiis & imperiis qui-


2. Maiestas Christi ex cósideratione personæ & of-

buſcunque: quia Maieſtas ipſa Chriſti in ſe & abſolutè, propter magnitudinem ſuam, neque ſatis à nobis intelligi. Poſſet tamen ea aliqua ex parte abſolutè & in ſe oſtendi, ſi dignitas & Maieſtas perſonæ Chriſti, officii, & naturarum etiam, præſertim humanæ, de qua eſt hic locus intelligendus propriè, explicentur.

ficii eiuſdem vtcunq; percipi poteſt.

3. Vt cauſam tam magnificè explicatam, hoc eſt, Chriſti exaltationem, ad effectum ſuum, nempe, magnitudinem potentiæ Dei in nobis, accommodemus, vides non immeritò magnam dici hanc Dei potentiam in nobis, cùm virtute tantæ támque glorioſæ cauſæ efficiatur: & reuera magna eſt, ſi habeatur ratio noſtri, quales fuerimus tum, cùm cœpit in nobís exerceri potentia illa Dei, virtute exaltationis Chriſti, vtcunque propter naturæ noſtræ reliquam adhuc prauitatem exigua in nobis eſſe videatur. Verum ſi videatur nobis exigua, ſubinde conuertendi ſunt oculi ad cauſam ipſam, & Chriſti perfectam illam gloriam, tantiſper dum, cum apparuerit Chriſtus, ſimiles ei fuerimus.

3. Chriſti exaltatio, magnitudinis potentiæ diuinæ in nobis argumentum, ante & poſt regenerationé quomodo cõſideranda.



ARGVMENTVM.

Secundi capitis partes sunt tres.

1 Est applicatio excellentis illius magnitudinis potentiæ Dei, quam hoc capite viuificationem nominat, ad gẽtes pariter ac Iudæos, ad ver. 11. Nam postquam breuiter, & in genere beneficiũ istud, substrato illi fundamento suo, nempe, Christi resurrectione, & glorificatione, exposuit, hoc cap. ipsum applicat in specie ad Ephesios & Iudæos.

2 Absoluta iam secunda parte Epist. de benedictionibus spiritualibus, & de doctrina generali: tertia parte Epistolæ descendit ad speciem, & ponit Ephesiis ante oculos vtranque conditionem suam, & illam præcedentem in Gentilismo, & hanc pręsentem in Christianismo, ad vers. 14.

3 Confirmat ad fin. vsque cap. præsentem illam ipsorum conditionem ac vocationem, nempe propinquos factos esse in Christo, per sanguinem ipsius.

CAPVT II.

1 *Et vos vnà viuificauit, cùm essetis mortui in offensis & peccatis.*

2 *In quibus olim versati estis, vt est vita mundi huius, secundum principem, cui potestas est aeris, & spiritus nunc agentis in hominibus contumacibus.*

3 *Inter quos & nos omnes conuersati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ, facientes quæ carni ac cogitationibus libebant, eramúsque naturâ filii iræ, vt etiam reliqui.*

Et vos

ET vos vna. Prima pars capitis, applicatio beneficii vocationis, quam appellauit superiori cap. excellētem magnitudinem potentiæ Dei. Applicat autem beneficium hoc primùm ad Ephesios. *cum essetis.* Amplificatio beneficii præsentis à priori Ephesiorum conditione misera, qua spiritualiter erant mortui. Conditio illa prior exprimitur metaphora sumpta ab homine mortuo: quemadmodum homo mortuus priuatur non modò actionibus & motibus naturalibus ac humanis, sed etiam facultate ipsa agendi & mouendi: ita Ephesii ante viuificationem priuati erant non modò actionibus spiritualibus, sed etiam facultate omni, & propensione ad actiones illas. In mortuo non est mens, qua naturaliter cognoscat: non voluntas, qua eligat aut reprobet: non affectiones, quibus commoueatur aliquo modo: itá in nobis spiritualiter mortuis non est mens, quæ rectè intelligat spiritualia: non voluntas quæ eligat: non affectus, qui benè & sanctè commoueatur, vel ad Deum, vel ad proximum diligendum, vel ad quiduis aliud faciendum. Ex hac similitudine satis apparet, si alter dicendus sit mortuus naturaliter, & alterum meritò debere dici mortuum spiritualiter. Hæc est

I Applicatio beneficii vocationis.

Eiusdem amplificatio.

A priori Ephesiorū conditione, quæ per metaphoram hominis mortui exponitur.

Partium metaphoræ collatio.

Relatio mortis naturalis & spiritualis.

illa ſpiritualis mors,de qua cap.5.ver.14.huiusEpiſt. Surge à mortuis,& illuceſcet tibi Chriſtus :& 5.cap.verſ.8.eam intelligit tenebrarum nomine.Eratis olim in tenebræ, nunc autem lux in Domino.& Luc.1.79.vt appareat iis,qui in tenebris & vmbra mortis poſiti ſunt.Quo loco vides mortē iſtam etiam vmbram mortis appellari,vt&Mat. 4.16. Ex hac morte ſpirituali duæ mortes conſequentes ſunt.Prima corporis:ſecunda, corporis & animæ.

Mortis ſpiritualis deſcriptio.

Cōſequentia.

In offenſis. His verbis tanquam differentia quadam, vt loquuntur Logici,adiecta, ſignificatur genus mortis,nempe,mors ſpiritualis: nam peccatum eſt quiddam ſpirituale. Porro *peccati* & *offenſæ* nominibus intelligo & comprehendo omne genus peccati,ſiue naturæ contagio ſit,ſiue mali motus ab ea profecti,ſiue deniq;, externæ actiones ſint. Nam ab his omnibus homo mortuus dicitur,&hęc non modò mortem procurant tanquam ſtipendium peccati, ſed etiam quodammodo ſunt ipſa mors. Quid enim aliud eſt peccatum, quàm priuatio conformitatiscum LegeDei,ac proinde vitæ noſtræ? Nam conformitas illa cum Lege Dei eſt ipſa vita noſtra. Mors autem quid aliud eſt, quàm priuatio vitæ? Quare peccatum eſt, mortis quoddam ge-

Genus, nempe peccatum

Originale & actuale.

Peccati effecta.

Ratio,à definitione peccati ſumpta.

nus,& qui in peccatis viuit, etiam dum viuit, mortuus est: vt Paul. 1. Timo. 5. 6. loquitur de vidua quæ in luxu viuit: Ea viuens, inquit, mortua est.

Hactenus proposuit nobis conditionem illam Ephesiorum priorem miserrimam. Quædam deinde obseruanda sunt: 1. Quod ad phrasin attinet: variæ sunt de morte & peccato locutiones. Rom. 6. 2. dicitur nos mortuos esse peccato: hîc autem & Col. 2. 13. nos mortuos esse in peccatis, aut per peccata. Differunt hæ loquutiones à se inuicem; Nam *peccato mori*, est habere cū Christo crucifixum veterem hominem, vt eneruetur corpus peccati, ne posthac nos seruiamus peccato, interprete Apostolo ibid. Cum hac morte coniuncta est viuificatio, quam etiam cum ea coniungit Apostolus eodem loco. Ita etiam vos colligite vosipsos tum mortuos esse peccato, tum verò viuere Deo per Christum Iesum Dominum nostrum. *Mori* verò *in peccatis*, est peccatis viuere, & priuari omni facultate ad bonū, vt tantùm proferamus fructus peccato dignos. Cum hac morte pugnat viuificatio. Nam qui sic mortuus est, non est viuificatus. Atque ideo hoc loco Apostolus exaggerat viuificationis beneficium à contrario statu mortis in peccato.

Obseruationes locorum doctrinæ.

1. Variæ de peccato & morte locutiones.

Peccato mori.

Mori in peccatis, vel per peccata.

2. Refutatio dogmatis de libero arbitr.

2. Nos vocat hîc semimortuos, aut ægrotos ac infirmos, sed prorsus mortuos, omni facultate bene cogitandi aut agendi destitutos. Hinc conuellitur doctrina Pontificiorum de libero arbitrio, & naturali facultate in nobis bona quidem, sed præpedita.

3. De euanida, misera & vera vita.

3. Putat mundus vitam hominis perfici naturalibus & humanis actionibus, sed vocat Paulus mortuum hominem, qui alioqui quamoptimè fungitur vita hac naturali & humana. Si enim coniunctio hæc corporis & animæ satis sit ad vitam, tum qui apud inferos erunt, viuent, qui tamen erũt plusquam mortui.

digressio paulò diffusior in explicationẽ superioris illius conditionis Ephesiorum.

In quibus olim. Inchoatam applicationem abrumpit, digressione facta in explicationem superioris illius conditionis, & mortis Ephesiorum: cui etiam similem facit priorem Iudæorum conditionẽ. Ostendit autem Ephesios fuisse mortuos in peccatis & offensis, à genere ac modo conuersationis ipsorũ prioris. Modus autem conuersationis explicatur, primùm à similitudine vitæ mundi, deinde ab authore suo Diabolo. Conuersatio ipsa exprimitur verbo ambulandi. *Ambulare* in scripturis commune est tam bonis, quàm malis. Bonis: vt 4.1. huius epi. Precor vt ambuletis

Modus prioris conuersationis ipsorum.

Mundi respectu, cum quo ambularunt.

ita vt dignum est vocatione, qua vocati estis. Malis, vt hoc loco. Mutuatitium autẽ est verbum: quemadmodum enim ambulant homines in via, ita peruersi ambulant in peccatis, tanquam in via. Vnde Act. 14. 16. viæ nomine peccata significantur. Ætatibus præteritis siuit Deus gentes omnes suis ipsorum viis incedere. Qualis autem fuerit hæc conuersatio ostenditur similitudine conuersationis mundi, quam vitam appellat. Nam hæc indifferenter accipi ostendit illud Apostoli Col. 3. 7. Quibus in vitiis vos versabamini quondam, cùm in iis viueretis. *Mundum* intelligit homines illos, quos paulò post contumaces vocat, quo genere hominum magna ex parte repletus est hic mundus. Eph. 6. 12. mundum definit tenebras sæculi huius, aduersus, inquit, mundi dominos, hoc est, vt subiicit, dominos tenebrarum sæculi huius.

Mũdanorum hominũ more vitam instituentes.

Qui mundani paulò post cõtumaces appellantur.

Secundum principem. Hîc ostenditur qualis sit eorum conuersatio ab authore suo, nempe, principe cui potestas est aeris, periphrasis est diaboli. Quid sibi velit per aerem illum, verbum sequens exponit, nempe, Spiritum quasi aerium, cuius impulsu aguntur & incitantur aduersus Christum contumaces homines, non secus atque nubes agitantur aere tempestuoso. *Filios infi-*

Ephesiorum conuersatio ante vocationẽ authorem habuit Diabolum, qui princeps est aeris.

Agens in filios infidelitatis, i. homines contumaces & reprobos.

delitatis vocat eos vsitata phrasi Hebræorum, qua significatur prorsus addictos infidelitati, & in ea obstinatos. Hoc igitur nomine notatur contumacia, quæ nunquã mutari potest etiam oblata clarissima Euangelii luce. 2. Cor. 4.3. Quod si Euangelium meum tectum sit, iis qui pereunt, tectum est, in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes, id est, infidelibus. Hi sunt pro quibus non orat Christus, Ioan. 17.9. Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi, quia tui sunt.

Obseruationes.

1. Quales sint electi ante vocationem & regenerationem.

Hactenus fuit declaratio propositionis. Quæ obseruamus hæc sunt: 1. Versu primo Ephesios ante regeneratioñe vocauit mortuos, hoc versu conuersationem planè similem mundi cõuersationi iis tribuit, quæ profecta sit ab authore diabolo: vnde licet discere quales fuerint ante regeneratione, & an fuerit in iis vllum semen electionis quod vocant: quod nullum profectò ex his quæ hîc dicuntur, conspicitur. Ergo nulla re differunt electi à reprobis ante vocationem & regenerationem.

2. Diaboli tentationes, & nõ regeneratorũ miserrima cõditio.

2. Diabolus permissione Dei duobus modis tentat hominem partim foris, oblatis externis occasionibus, partim intus, immisso in homine Spiritu quasi suo, vt hoc loco. Disce igitur quàm miseri sint homines nõ renati. Sunt

mortui in sese: diabolus præterea Dei permissione & iusto iudicio in ipsis efficax est, 1. Thes. 2. 11. 2. Cor. 4. 4.

Inter quos. Persistit in digressione, ac persequitur conditionem Iudæorum ante gressam viuificationem ipsorum, superiori illi Ephesiorum planè similem, cùm dicat, *inter quos & nos*: hoc est, similiter nos Iudæi. q. d. quemadmodum vos olim versati estis, &c. ita & nos Iudæi inter homines contumaces versati sumus, &c. Explicatur conditio hæc similis Iudæorum à statu, primùm conuersationis similis conuersationi contumaciam hominum: deinde naturæ ipsius similis naturæ contumacium hominum. Conuersatio Iudæorum similis sic tractatur. Primùm proponitur modus conuersationis. (*Inter quos*, inquit, hoc est, eodem modo quo contumaces, conuersati sumus olim in cupiditatibus carnis nostræ:) deinde declaratur. Conuersationis forma siue modus traditur per causas, quarum princeps est *caro* ipsa, per quam intelligo communem illam naturæ contagionem, quæ peruasit omnem posteritatem Adami, orta ex eius inobedientia. His nominibus vocari solet à Paulo, nempe, carnis, carnalis hominis, animalis hominis, veteris hominis, & membrorum. Ex carne existunt cupidi-

Digressionis amplificatio, collatione facta inter conditionem Iudæorum & Ephesiorum.

Quæ similis fuit.

Iudæi enim conuersati sũt ante regenerationem in cupiditatib. carnis suæ.

Id est, fuerunt coram Deo polluti peccato origin.

tates, quæ efficiunt secundariam conuersationis causam. *Cupiditates* vocat affectus, &, vt sic loquar, passiones peccatorum, παθήματα ἁμαρτιῶν. Rom. 7. 5. Cum essemus in carne, affectiones peccatorum vigebant in membris nostris: & Rom. 8. 6. cupiditatem carnis significat nomine φρόνηματος, hoc est sapientiæ carnis. Nam intelligentia, inquit, carnis mors est. *Facientes quæ carni.* Declaratio propositæ formæ conuersationis illius similis, qua quodammodo definit quid sit conuersari in cupiditatibus carnis: est nimirum facere, quæ carni & cogitationibus libebant. Primùm igitur conuersatio posita est in actione quæ promanat ex his caussis, primùm carne, deinde cupiditatibus, quas hîc vocat cogitationes, etsi alioqui cogitatio siue διάνοια propriè sit mentis motus, quo progreditur ab vno ad alterum. Significatur igitur his verbis imperium quoddam & regnum peccati & carnis, quo regnauit in mortali eorum corpore peccatum, & ipsi obedierunt peccato in cupiditatibus corporis, Rom. 6. 12.

Deinde peccato actuali.

Cuius externa effecta describuntur.

Eramúsque natura. Secunda pars conditionis præcedentis Iudæorum, planè similis illi infidelium, nempe, status naturæ similis: Natura erant filii iræ, vt etiam reliqui. Natura humana tribus modis conside-

Præterea Iudæi erant natura filii iræ.

rari poteſt. Primùm ex creatione iudicatur, quæ fuit ſecundum imagi m Dei. Deinde ex naturali iſta generation , quæ eſt ſecundum imaginem Adami, qua miſerè deformata eſt imago illa Dei. Tertiò ex ſpirituali illa regeneratione, quæ eſt reparata in nobis natura illa primæua. De deformata natura in Geneſ. 5.3. ſermo eſt: quo nimirum loco habes Adamum genuiſſe filium ſecundum imaginem ſuam. De hac etiam natura intelligendus eſt hic locus. *Filios iræ* appellat ex Hebræorum phraſi, hoc eſt, obnoxios & addictos iræ Dei. Non eſt autem hîc prætereundum, nos ſecundum primam illam naturam filios eſſe Dei per creationem: ſecundum alteram filios eſſe iræ Dei: ſecundum tertiam denique filios Dei eſſe per adoptionem. Hactenus fuit conditio illa prior Iudæorum.

Naturæ autẽ triplex eſt cõſideratio.

De deformata ſermo h c inſtituitur.

Secundũ quã omnes Adæ poſteri ſunt iræ filii.

Nunc quædam obſeruabimus: 1. Iudæi habebant verbum Dei, & tamen annumerantur reliquo mundo & filiis infidelitatis, Nullum prorſus eſt lumen veritatis, quo continetur peruerſa hominis natura. Nam primum illud lumen, quod ex natura eſt, ſuffocat homo, Rom. 1. Deinde lumen verbi, aut non recipit omninò: aut ſi recipiat, corrumpit atque peruertit, vt in hæreticis videmus: aut prorſus deficit ab eo, vt in A-

Obſeruatiões.

1. In natura per peccatum deformata, nullum eſt lumen veritatis.

poſtatis:aut ſi retineat puritatem,abutitur ea tanquam larua ad integendam incredulitatem & morum peruerſitatem, vt in hypocritis cernimus. Quid dicam?Homo de homine exuet hominem prius,quàm deſierit aliquo modo in illam lucem peccare. Quàm benè igitur argumentantur Papiſtæ à malis moribus ad damnādam hāc quam Dei gratia habemus Euangelii lucem?

2. Peccatorū gradus. Caro. Cupiditas. Actio.

2.Obſeruandi ſunt hîc peccatorum gradus quidam. Primus eſt,carnis : ſecundus cupiditatis:tertius,actionis. Vnuſquiſq; ex his gradibus peccatum eſt,& mortem commeretur.Quod ſi ex omnibus coagmentatum fuerit peccatum, tum quidem omnibus ſuis numeris abſolutum eſt. Hos tres gradus ſic diſtinxit Iac.1.15.Cupiditas(primus eſt gradus corruptæ ipſius naturæ)vbi conceperit(ſecūdus eſt,motus cupiditatis) parit peccatum (qui tertius eſt gradus actualis peccati.)

quō diſtincti à Iac.Apoſt.

3. Regnum peccati. Caro, regina.

3.Operæ pretium eſt hoc loco videre regnum illud peccati & carnis,hîc enim non obſcurè depingitur.Primùm caro, tāquam regina quædam,inſidet animo,eiúſque facultatibus omnibus. Neq; enim verum eſt quod Philoſophi dicunt,mentem,tāquam reginam omnibus præſidere animi facultatibus,cùm ipſa etiam carni inſeruiat.Dein

de caro animi domina nequaquam otiosa est, sed concupiscit. Cum hac concupiscentia carnis conspirant omnes functiones omnium facultatum animi: quod cogitat caro, cogitat mēs: quod vult caro, vult voluntas: denique motus affectuum sequuntur motus carnis: postremò cùm animus sic addictus seruituti carnis moueat corpus, certè corpus pariter eiúsque membra à carne tanquam domina mouentur, ideóque totus homo, quantus quantus est, & animo & corpore peccati seruus est.

carnis dominium.

Satellites.

Huius regni horrenda ἀταξία.

4. Quòd si natura simus filii irę, miserè errarunt & Pelagiani, qui negarunt originis peccatum, & Semipelagiani Papistæ, qui in natura nostra affirmant liberum arbitrium, hoc est, facultatem aliquam, & procliuitatem ad id quod bonum, & Deo acceptum est, reliquum esse.

4. Adu. Pelagianos & Papistas gratiæ Dei inimicos.

5. Dicimur hîc per naturam filii irę. Rom. 1.18. per opera ipsa dicimur obnoxii esse iræ Dei. Ergo ira Dei incumbit tam radici, quàm fructui. Nam vsque adeò inuiolabilis est Dei Maiestas, & tantum mali est in peccato, vt nullum eximatur iræ Dei, vel minimum, cùm vel minimo offendatur illa Dei Maiestas sacrosancta & inuiolabilis.

5. De effectu peccati orig.

4 *Sed Deus qui diues est misericordia, propter multam charitatem suam, qua dilexit*

nos.

5 *Etiam quum per offensas mortui essemus, vnà viuificauit nos per Christum, cuius gratia estis seruati.*

6 *Vnáque excitauit, vnáque collocauit in cælis in Christo Iesu.*

7 *Vt ostenderet sæculis succedentibus summas opes gratiæ suæ, sua erga nos benignitate in Christo Iesu.*

Absoluta superiori digressione,

Sed Deus qui. Hactenus digressus est in priorem illam conditionem Ephesiorum pariter & Iudæorum, vt vel hac ratione ex contraria illi, & priori miseria exaggeraret beneficium viuificationis. Nunc redit ad beneficium ipsum, eiúsque applicationem, inchoatam quidem primo versu, sed interpellatam, vt diximus, explicatione status & miseriæ superioris Ephesiorum pariter & Iudæorum. Applicatio communiter & promiscuè facta est ad Ephesios & Iudæos. Dum applicat beneficium, non id ieiunè facit, sed ipsam omnib. causis suis, efficiente, forma, materia, fine amplificat. Tractantur efficiens & forma vers. 4. De beneficio ipso, & coniuncta materia agitur vers. 5. & 6. finis subiicitur ver. 7 Primùm igitur ver. 4. efficiens causa est. Efficiens est Deus, sed in persona Patris. Non contentus nuda Dei

Redit ad beneficium electis collatum eiúsque applicationem,

Quam amplificat,

Proposita efficiente causa eiusdem, quæ est Deus.

nominatione addit descriptionem à misericordia sumptam.

Qui diues est misericordia. Definitio hæc valdè accommoda est instituto: nam beneficium viuificationis effectum est misericordiæ diuinę. Non autem nuda misericordia sua Deum definit, sed diuitem misericordia prædicat: & hoc quoque accommodatè dictum, si respicias conditionem ipsorum: fuerunt enim, vt sequitur, per offensas mortui, prorsus miseri, & in se desperati: vnde opus erat illis viuificandis infinita misericordia. Nam vbi auctum est peccatum, necesse est superabundet gratia. Et hæc de efficiente.

Dei subiungitur descriptio accommoda. Ipsi beneficio

Et beneficiariis ipsis.

Sequitur forma siue modus, quo Deus misericors exercuit misericordiam suam. Exercuit autem per charitatē. Scimus hoc omnes, vel natura duce, charitatem, aut amorem, misericordiæ affectum mouere, & vt quisque maximè charus est nobis, ita solere nos eius maximè miserari. Idem hoc loco de Deo ἀνθρωποπαθῶς dicitur. Amor enim erga homines & φιλανθρωπία mouet Deum ad misericordiam erga homines exercendam. Neque solam charitatem nominat, sed multam prædicat. Et hoc quoque opportunè dictum, si rationem habeas cō ditionis ipsorum. Mortui erant per offen-

Forma huius applicationis,

Nempe charitas,

Quæ Deo humanitas tribuitur:

Et in eo multa est.

ſas ac proinde Deo inimici. Nam Paulus Rom.5.quos ver.8.peccatores vocauit eoſdem inimicos paulò poſt,ver. 10. appellat. Scimus id omnes, niſi multa ſit charitas, quæ nos moueat, non ſtatim moueri nos miſericordia erga inimicũ hominem. Niſi multa eſſet στοργὴ illa parentis erga filium non facilè moueretur miſericordia erga eum,nec grauem offenſam cõdonaret. Vide typum huius tanti amoris in parabola filii prodigi,Luc.15. 20. Idẽ de Deo humano more dicendum eſt.

Obſeruatio locorum doctrinæ, dicta, de miſericordia & charitate Dei.

Etiam cum per. Hactenus de efficiente & forma, ſequitur ipſum beneficium cum materia coniuncta verſ.5.& 6. Priuſquam autem ad beneficium veniat,argumento à communi miſeria iam tractato, ipſum exaggerat. De argumento igitur nihil nunc dicemus amplius, tantùm hoc annotabimus:Quando pronunciat Paulus magno cũ cordis ſenſu diuitem miſericordia Deum, & multam eius charitatem?Nimirum tum quum addit, *etiam cum per offenſas mortui eſſemus.* Quando igitur ſentit quis miſericordiam,eámque infinitam Dei?Nimirum tum cùm ſentit miſeriam ſuam. Quando poteſt quis ex animo Deum miſericordem pronuntiare?Nempe tum cùm poteſt ex animo ſe miſerũ clamare. Paulus poſtquam

1. Prout ſentimus miſeriam noſtram, ita ſentimus Dei miſericordiã.

xclamauit, O me miserum! quis me libe-abit à corpore mortis huius? statim agno-it Dei misericordiam in Christo, ac subie it, Gratia sit Deo per Dominum nostrum esum Christum. Contrà disce, qui non af-ectus fuerit sensu miseriæ suæ, nunquam fficietur is sensu diuinæ misericordiæ.

Excemplum in Paulo.

2. Hypocritæ & iustitiarii sensu huius misericordiæ expertes.

Vnà viuificauit. Sequitur beneficium ip-um tribus gradibus amplificatum. Primus st, *vnà viuificauit nos.* Secundus, *vnà exci-auit.* Tertius, *vnà collocauit in cælis.* Pri-nus gradus pertinet ad vitam animæ po-issimùm. Secundus ad vitam corporis. Ter ius ad vitam & gloriam vtriusque. His tri-us perficitur glorificatio nostri. Quare ad anctificationem, siue viuificationē, de qua nstituit agere hoc loco maximè, cùm sit principium quasi glorificationis nostræ, ad ungit suscitationem ex mortuis, & collo-cationem in cælis, vt perficiat glorificatio-nem. Quare vltra viuificationē institutam prouehitur ad perfectam glorificationem.

De gradibus beneficii, quod electis confertur.

Ad quid referantur.

Primus itaq; gradus his verbis est, *vnà-que viuificauit.* Sensus est cùm mortui esse-mus pariter Ephesii & Iudæi, & destituti omni facultate ad spiritualia, Deus nos E-phesios pariter & Iudæos, viuificauit per Christum, cuius resurrectionis virtute Spi ritus S. abolita morte indidit animis no-

Primus gradus, viuificatio.

Id est, vita animæ, quã in hac vita inchoamus.

stris facultatem vitæ spiritualis. Et hæc est illa vita animæ quam inchoamus in hac vita. De qua non erit alienum aliquid dicere. Vitam in genere definio propriè functionem facultatem animi. Ea vita in homine duplex est. In non renato est functio facultatum naturalium & humanarũ, quam etiam à Deo esse testatur Paulus, Act.17.28. Per ipsum enim viuimus & moeuemur, & sumus. Quo loco & vitam nostram & essentiam ipsam, siue esse nostrum, vnde vita, Deo tribuit. In renato vita est functio Spiritus in homine, à quo accipit homo renatus suum esse, vt non renatus à naturali sua anima. De hac vita spirituali hic sermo est.

Vita duplex. Naturalis & humana.

Spiritualis, de qua hic sermo.

Obiectionis dilutio.

Sed dices, annon est renati vita, functio facultatum, animi? Respondeo, primùm esse functionem Spiritus habitantis in nobis, tanquam principalis causæ: deinde animæ eiúsque facultatum tanquam instrumentalium causarum, quarum ministerio vtitur Spiritus S.

Primi gradus explicatio per materiam suam, nempe Christum.

Per Christum. Explicat per materiam suam hunc primum gradum. Materia est Christus. Primùm enim Deus per Christum, tanquam materiam, format & facit omnia in gratiam nostram. 1.Cor.1.30. Qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiáq; & sanctificatio, & redemptio. Deinde ex

Christo

Christo coiuncto nobiscũ, vt capite cum membris profluũt in nos omnia beneficia, in quorum numero est viuificatio. *Cuius gratia.* Obiter inserit fundamentum doctrinæ huius. Omnes causæ beneficii viuificationis nihil aliud sonant, quã Dei gratiam, meritóq; nostro nullum locũ relinquunt: ideóque nequis ea re commoueatur substernit firmissimum doctrinæ suæ fundamentum, nempe, totam salutis nostræ rationem per meram Dei gratiam esse, ideóque & hoc beneficium Dei gratia conferri. Argumentum est quasi à genere toto ad partem. Sed de hoc posteà.

Fundamentũ huius doctrinæ.

Nunc ad secundum gradum pergamus. *Vnáque* inquit, *excitauit.* Hic gradus magis proprius videtur esse viuificationis corporis, cuius sensus est: Ephesios pariter & Iudæos, quoad corpora hæc mortalia, excitauit. Huic loco commentarii vice potest esse ille locus, Rom. 8. 11. Sed si Spiritus eius, qui excitauit Iesum à mortuis, habitat in vobis, is qui excitauit Christum ex mortuis, viuificabit etiam mortalia corpora vestra, per inhabitantem eius Spiritum in vobis.

Secũdus gradus, Excitatio, seu corporis resurrectio.

Vnáque collocauit. Tertius & postremus est gradus, communis animo cum corpore, estque perfectio vitæ & gloriæ in cælis

Tertius, Perfectio vitæ & gloriæ in cælis cum Christo.

cum Christo. Explicantur etiã hi duo gra-
dus per materiam suam, Christum, de quo
Quæstio. anteà. Oritur hîc quęstio de duobus poste-
rioribus gradibus. Quî fit vt dicat in præte-
rito tempore ipsos iam excitatos, & in cæ-
Solutio. lis collocatos? Respondeo, duobus modi
dici nos participes beneficiorum Christi
Iure & facto sumus participes beneficiorum Christi. nempe, iure, & facto. Iure, resurrectio cor-
porum & collocatio in cælis nostra iam
sunt: facto, nondum sunt. Quanquam etiam
ipso facto aliquo modo nostra sunt, nem-
pe, in capite nostro Christo, qui iam resur-
rexit, iam collocatus est in cælis: quæ enim
est capitis cõditio, eadem etiam membro-
rum dicitur. Imò verò si fidem respicias
quæ est hypostasis rerum sperandarum, fa-
cto nostra sunt, etiam vt membra corpori
sumus, certo quodam modo, nempe per fi-
dem, quæ facit quodammodo subsistere, &
præsentes esse, res absentes & futuras.

Loci doctrinæ, 1. Conformitas mẽbrorum cum capite Christo. Hîc quædam obseruanda sunt. Eadem
quæ hîc Ephesiis & Iudæis tribuuntur, ipsi
Christo tributa sunt cap. superiori, nem-
pe, excitatio ex mortuis, & collocatio in cæ-
lis. Ergo verum est quod dicit Apostolus
Rom. 8. 29. Prędestinauit nos Deus vt con-
formes fiamus imagini Filii sui: vt is sit pri-
mogenitus inter multos fratres. Confor-
mitas hæc est in duobus, in humilitate, in

iac vita: in gloria,in altera : de posteriori
ermo est hoc loco. Vt autem fiat hæc con
ormitas accipimus Spiritum Christi, qui
adem operatur in nobis,quæ in ipsoChri
to.Spiritus ille excitauit Christum,collo-
auit eum in cælis:idem Spiritus eadem
uo quodam modo in nobis efficiet.

2.Quæcunque in nos conferuntur bene
icia,certis quibusdam gradibus accedunt,
nchoantur in hac vita,perficiuntur in al-
era.

Ordo felicitatis nostræ.

Vt ostenderet. Summus finis huius bene-
icii, vt ostenderet sæculis succedentibus
gratiam suam infinitam, & ex consequen-
i, glorificaretur à sæculis succedentibus.
Spiritus enim volens innuere finem Dei
gloriam,ita solet loqui, posito anteceden-
e pro consequenti, vt Rom.9.22.Quod si
verò volens ostendere iram, & notam fa-
cere potentiam suam,hoc est,glorificari in
potentia sua.*Sua erga nos.* Modum aperit,
quo ostendit Deus summas opes gratiæ
suæ.Modus est per effectum gratiæ ipsius,
nempe opus ipsum viuificationis, excita-
tionis,&collocationis nostri in cęlis:quod
opus nomine benignitatis metonimicῶs
significatur. Nam benignitas hoc loco est
actio ipsa benigna.

Summus finis huius beneficii.

Modus.

Hic obserua quædam. Deus quærit glo-

Doctrinæ.

1. Felicitas hominis. riam suam, nempe, vt ab homine glorificetur ipse in natura, personis, & proprietatibus suis, éstq; hęc fœlicitas hominis Deum suum glorificare. Nemo autem mortalium, potest statim in naturam Dei, mente & cogitatione descendere, ideóque Deus hominum imbecillitati consulens, patefacit se hominibus in operibus suis, vt per opera manifesta, in ipsius Dei naturam penetrent, eúmque glorificent in natura, personis & proprietatibus. Sed non est hoc prætereundum, nos astu diaboli, & nostro ipsorum vitio, abuti ista ad Deum perueniendi ratione ad impuram idololatriam. Nam admirati homines opera, teste Paulo Rom. 1. ea ipsa, vt Deum, colunt, neque altius ad creatorem ipsum assurgunt.

2. Felicitas nostri sæculi. 2. Vsum huius finis videmus hodierno die, quo Deus ostendit nobis qui hoc seculo viuimus opes gratiæ suæ, in viuificandis iam olim Ephesiis & Iudæis. Ostendit autem nobis gratiam illam suam nobis inquam, tanquam succedendi ætati & seculo, per Epistolam hãc, per manus superiorum ætatum ad nos transmissam: ob eámq; causam sine dubio inter tot persecutiones voluit eam Deus seruari, & venire tandem in manus nostras, nimirum, vt constet sua veritas his Pauli verbis, & impleatur hoc

quod ſcriptum eſt, vt oſtenderet ſæculis ſuccedentibus ſummas opes ſuæ gratiæ. Oſtendit autem nobis, tanquam ætati ſuccedenti, vt nos ipſum glorificemus in illa benignitate iam olim præſtita: quod eò alacrius facere debemus nos qui Gentes fuimus, quod audiamus eam præſtitam Epheſiis, nempe, gentibus. Gentes quæ fuerant Antiochiæ audiẽtes vocationẽ Gentium, gauiſæ ſunt & glorificabant ſermonẽ Dei, Act. 13. 48. Sed hic eſt ſtupor naturę noſtrę, vt nunquam ſatis ſentire aut miſeriam noſtram ſine Chriſto, aut felicitatem noſtram in illo, poſſimus.

8 *Gratia enim eſtis ſeruati per fidem, idque non ex vobis, Dei donum eſt.*
9 *Non ex operibus, ne quis glorietur.*
10 *Nam ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit Deus vt in iis verſaremur.*

Gratia enim, Repetit generale illud fundamentum doctrinæ huius, quod ſuperius obiter attigit. Primùm autem ipſum proponit, deinde confirmat. Propoſitio eſt, *gratia eſtis ſeruati per fidem.* Senſus propoſitionis eſt: Gratia Dei cauſa eſt ſalutis noſtræ, ita tamen, vt nos credamus, hoc eſt, pręſtemus id quod noſtrarum partium eſt.

Repetitio.

Fundamenti doctrinæ antea traditæ propoſitio, in qua concurrunt.

Gratia Dei,

Sciendum autem eſt gratiam Dei non efficere proximè & ſine medio ſalutem noſtram, verùm interueniente iuſtitia. Nulli

Iuſtitia Chriſti,

enim contingit ſalus niſi iuſto. Iuſtitia autem hæc ipſius Chriſti eſt, & nobis peccatoribus imputatur. Primùm itaque gratia Dei iuſtificamur: deinde conſequimur ſalutem: quem ordinem Apoſtolus Rom. 5. 24 apertè indicat: Vt quemadmodum regnauerat peccatum in mortem, ita etiam gratia regnaret per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum no-

Electorum fides.

ſtrum. Quia autem nihil prodeſt beneficium gratia collatum, niſi recipiatur à nobis recipi autem non poteſt, niſi per manum fidei: ideo adiicitur inſtrumentum fidei. Quod autem dixi non recipi niſi per fidem ſalutis beneficium, intelligendum eſt id fieri in hac vita duntaxat, in qua dum ſumus vita illa æterna abſcondita eſt à nobis cum Chriſto in Deo. Col. 3. 3. ideóque fide amplectenda, dum in promiſſione vitæ æternæ nobis offertur.

Doctrina,

Obſerua hoc loco cum gratuita Dei gratia nō ſolum poſſe, ſed etiam debere fidem

Dei gratia, fides, & opera piorum, quō conſideratur.

conſiſtere. Quod vt melius intelligamus tenendum eſt tria quædam eſſe, quorum vnū in Deo eſt, reliqua duo in nobis ſunt Sunt autem ea, gratia, opera, & fides: E:

quibus opera ſiue merita, & gratia, conſiſtere vnà non poſſunt. Rom. 11. 6. Si ex gratia, non ex operibus: & ſi ex operibus, non ex gratia. Gratia autẽ & fides optimè conueniunt. Nam quod gratia dat, fides recipit, ideóque Paulus Rom. 4. 16. ea coniungit. Ex fide, inquit, eſt hæreditas, vt ſit per gratiam. Ex quibus verbis etiam illud apparet, fidem tantum abeſſe à merito, vt gratiam etiam importet. Vnde ſequitur, Credere non eſſe mereri: ſed eſſe inſtrumentum accenſum in animo noſtro per Spiritum S. quo apprehendimus Chriſti meritum & vitam æternam ſine vllo merito noſtro, imò contra meritum noſtrum. Ideóque in Scriptura leges nos per fidem iuſtificari, & ex fide, nunquam autem propter fidem. Atque hoc contra aduerſarios obſeruatum eſt, qui tanta auiditate prenſant merita, vt etiam in operatione & apprehenſione fidei quærant meritum.

Fides quo ſenſu iuſtificare dicatur.

Idque non ex vobis. Sequuntur argumenta propoſitionis. Primum eſt ſumptum à facultate in nobis gratiæ contraria, qua negata ſequitur gratia: Non ex vobis, hoc eſt vlla facultate, quę in vobis eſt, ſeruati eſtis: Ergo ex gratia. Hoc argumẽtum ſuperiori Epheſiorum conditioni conſentiens eſt, qua dictum eſt eos mortuos fuiſſe in pec-

Argumenta propoſitionis.
1. A facultate in nobis, gratię contraria.

catis, hoc eſt, inſtar mortuorum priuatos omni facultate ad ſpiritualia. Obſerua hîc tantum abeſſe vt habeamus ea opera, quibus ſalutem mereamur, vt ne facultas quidem aliqua ad opus producendum in nobis reliqua ſit. Hoc contra Papiſtas, qui meritorum ſuorum principium etiam in nobis ſtatuunt, Liberum arbitrium, & facultatem, impeditam quidem, ſed tamen ſanctam & bonam. Nam meritum definiunt, opus liberum, hoc eſt, à libero arbitrio profectum.

Doctrina.

Aduerſus merita operum.

2. A natura doni ſeu beneficii, quod prorſus eſt gratuitum,

Dei donum eſt. Secundum argumentum quod eſt donum, id ex Dei gratia eſt & liberalitate, (nam donum gratis datur:) Salus eſt Dei donum: Ergo ex gratia. Hæc aſſumptio habetur etiam Rom. 6.23. Donum autem Dei eſt vita æterna. Quo capite operæpretium eſt obſeruare quonam modo præficiat homini duos quaſi dominos, priorem, peccatum: poſteriorẽ, Deum ipſum: Vtrunque autem mercedem ſeruo ſuo rependere affirmet vltimo verſ. Nam ſtipendia peccati mors: donum autem Dei eſt vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Vbi verba ſunt notanda: vocat peccati mercedem ſtipendii nomine, quaſi iure debitam, & rectè: nam ſeruus peccati meretur mortem. Mercedem verò Dei ſiue iu-

Doctrina.

De duplici dominio & præmio.

ſtitiæ, vocat doni nomine, & rectè: nam poſteaquam omnia feceris, quæ, potueris, dic te ſeruum inutilem.

Non ex operibus. Tertium argumentum, ſumptum ex operibus gratiæ contrariis, quibus remotis locus eſt gratiæ. Salus veſtra non eſt ex operibus: Ergo ex gratia. Sciendum autem eſt hîc duo eſſe genera operum, alterum quod præcedit regenerationem: alterum quod ſequitur. De priori génere nulla eſt quæſtio. Salus enim omnium confeſſione non eſt ex illo operum genere, niſi fortè opera præparationis Pontificii obiiciant. Sed de his nunc non quæritur. Tu autem qualia ſint illa opera præparationis, diſce ex iis, quę ſuprà dicta ſunt in explicanda miſera illa Epheſiorum & Iudæorum pariter conditione ante vocationem in Chriſto. De altero illo genere operum tota eſt controuerſia: quod nos tamen dicimus & affirmamus nihil mereri. Vbi enim meritum ibi debitum eſt: & qui perſoluit, debitor eſt. Ergo Deus idem gratioſus eſt ſimul & debitor. Quæ duo non poſſunt conſiſtere. Non enim poteſt, & ex mera gratia, & ex debito aliquid perſoluere niſi dicas in Chriſto eum debere, quod tamen nobis gratis concedit, noſtri ipſorum ratione habita.

3. A contrario. Salus electorum non eſt ex operibus: ergo eſt ex gratia.

Non eſt ex operib. ante regenerationē.

Neq; ex operib. quæ regenerationem ſequuntur.

1. Ratio, ab impoſſibili.

Pontificiorũ obiectio,pro meritis operum.

At aiunt aduersarii,quod debetur nobis etiam ex gratia est. Nam & gratis promisit,&obligauit se promissione.Ergo gratia & debitio consistere possunt in Deo.

Responsio.

Respondeo,gratis quidem promisit,verum est: sed sub conditione perfectæ obedientiæ(si modò iustitiam in obedientia quæris,cum in Euangelico fœdere in sola fide quærenda sit)quam Christus solus præstitit. Ergo si debitor est, debet Christo propriè, qui sua obedientia, id commeritus est. Nobis verò debet non respectu meriti nostri, sed Christi nobis imputati. Ergo respectu nostri ex mera gratia est salus:respectuChristi:ex debito.

Instantia aduersariorum

At,inquiunt aduersarij, nostra ipsorum obedientia perfecta est, vt perfecta est ipsa sanctificatio ex qua existit.

Responsio.

At, inquam, verum est illud Apostoli de sanctificatione nostri imperfecta in hunc modum loquentis:Caro concupiscit aduersus Spiritum,&Spiritus aduersus carnem.Gal.5.17.Sed heus tu,relinquo te tuo Iudici.

2. Ratio ab absurdo deducta. Deo sit gloria, nō homini.

Nequis glorietur. Ratio est cur salus non sit ex operibus.Si salus sit ex operibus gloriabitur homo: ergo non est ex operibus. Propositio patet exēplo Abrahami, Rom. 4.2. Si Abraham ex operibus iustificatus fuit,habet in quo glorietur.Nota hìc duas

propositiones: Primam quidem quæ est hoc loco. Si iustitia, aut salus sit ex operibus, habet homo quod glorietur. Secūdam verò quam habemus Rom. 3. 27. Si iustitia, aut salus sit ex gratia, per fidem exclusa est gloriatio. At excipiunt aduersarij contra primam illam propositionem, & negant gloriationem ex operib. aliquam esse posse, cùm sermo est de operibus iis quæ sunt ex gratia: gloriationem autē esse affirmant in operibus duntaxat ancedentibus gratiam. Respondeo, De Abrahamo regenerato, & operibus ipsius regenerati dictum est illo in loco: Si Abraham iustificatus est ex operibus, habet in quo glorietur. Quare quicunque dicit se iustificari operibus etiā regenerationis, is necessariò gloriatur in operibus. Exemplum veræ gloriationis si requiras, habes illud in Paulo. Rom. 8. 31. qui gloriatur, non in operib. suis, etiam regeneratus: sed in Christo, & amore Dei erga se, & reliquum genus humanum.

Exceptio aduersariorum

Responsio.

Non ipsius sumus. Alia ratio tertij argumēti. Nos *opus* Dei sumus conditi in Christo ad opera bona: Ergo salus nostra non est ex operibus. Vis argumenti est: Posteaquam gratia per fidem seruati, ac proinde iustificati sumus, opus Dei sumus, conditi ad bona opera; hoc est, noua creatura su-

3. Ratio, à fine nostræ electionis & vocationis.

mus, regenerati ad opera bona. Ergo ex operibus nostris, quę sequuntur, non autem antecedũt salutem fide apprehensam, tanquam ex causa, non sumus seruati. Sed expendamus verba. Nomine *operis* intelligo eam quam 2. Cor. 5. 17. vocat nouam creaturam: Si quis igitur est in Christo, noua creatura est. & 4. 24. huius Epist. vocat nouum hominem quem Deus operatur in nobis regeneratione & renouatione Spiritussancti, quem effudit in nos per Iesum Christũ Dominum nostrum, vt ait Apost. Tit. 3. 5. 6.

Electi quo sensu dicantur Dei opus.

Per *creationem* hîc intelligo, non illam primam, sed secundam: regenerationem nimirum per Spiritum S. *Quæ præparauit.* Non contentus media causa bonorum operum, nempe, regeneratione, resoluit ea in primam & summam causam nempe, Dei ordinationem & decretum. *Quæ præparauit,* inquit, scilicet decreto suo ab æterno, vt nos ambularemus in iis.

Conditi ad bona opera,

Præparata æterno Dei decreto, vt in eis ambularent.

Obserua hic. 1. ex his causis bonorum operum, nempe, decreto Dei, & regeneratione: Opera bona non tantùm fieri Deo decernente, sed etiam regenerante, adeóque formante nos denuo suo tempore per Spiritum S. 2. Cum Deo decernente fiant opera nostra bona, sequitur neque plus, neque minùs operũ posse nos facere, quàm

Doctrinæ.

1. Operũ bonorum origo.

2. Piæ vitæ institutum, & perseuerantia à Deo.

Deus per Spiritum in nobis decreuit facere. Ex quo rursus sequitur non esse in libertate arbitrii nostri perseuerare in bonis operibus. 3. Obserua deductionē bonorum operum ex causis suis. Prima causa est, decretum Dei: proxima est regeneratio nostra: inter has interueniunt iustificatio & seruatio per fidem. Hinc cadunt duo aduersariorum dogmata. Primum, de præuisis operibus, tanquam causis ordinationis Dei. Hîc enim habemus Deum ordinare & præparare illa ipsa opera. Secundum, de iustificatione per opera bona. Hîc enim habemus opera, tanquam effecta & fructus iustificationis & salutis nostræ. Sed qui velit vniuersam vim operum regenerationis semel animo complecti, legat cap. 6.7.8. Epi. ad Rom. vbi videbis in tam longa tractatione nullum verbum de meritis, aut secūda, quam vocant, iustificatione fieri: quod certè factum à Paulo non fuisset, si Paulus tanti fecisset secundam illam iustificationem quæ est per opera, quanti eam faciunt Papistæ hodierno die.

3. Causæ bonorū operum, Decretū Dei Iustificatio. Fides. Regeneratio.

Vis operum regenerationis quanta, & quomodo expendenda.

11 *Propterea mementote vos quondam Gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea quæ vocatur Circuncisio in carne, & quæ manibus fit:*

12 *Vos, inquam, illo tempore fuisse absque Christo, alienos à republica Israelis, & extraneos à pactis promissionis, spem non habentes, & expertes Dei in mundo.*

13 *At nunc in Christo Iesu, vos qui olim eratis procul, propinqui facti estis, per sanguinem, inquam Christi.*

11. Hoc capitis articulo aggreditur tertiam epistolæ partem, in qua

Propterea mementote. Secunda pars cap. in qua, absoluta iam secunda parte Epist. de benedictionibus spiritualibus & de doctrina generali, aggreditur tertiam epistolæ partem: in qua descendens ad speciem, ponit Ephesiis ante oculos, veluti depictã in tabula, vtramque conditionem suam, & illam præcedentem in Gentilismo, & hanc

1. Hortatur Ephesios.

præsentem in Christianismo. Descriptio præcedentis illius miserrimæ conditionis tractatur per hortationem, qua hortatur

Vt recordentur miseriæ suæ,

Ephesios ad ipsius recordationem. Hortatur autem ad recordationem duplicis miseriæ, partim externæ, partim internæ ac spiritualis, quam eodem tẽpore cum priori

Externæ fuerunt etiam

illa externa contigisse dicit. Externa, quæ est ver. 11. tribus partibus explicatur. 1. Gentes fuerunt. 2. In carne fuerunt. 3. Nominati erant præputium. Dicit igitur, *Recordamini vos olim Gentes.* Hæc est prima pars ex-

Gentes.

ternæ cõditionis ac miseriæ. Deut. 7. 6. scri-

bit Moses Deum elegisse Israelem præ omnibus gentibus, quæ sunt sub vniuerso cælo. Ergo omnes populi terræ, excepto Israele, gentes dicebantur, de quorum numero erant Ephesii. Verùm hac appellatione gentium notatur Ephesiorum miseria: nam hoc ipso nomine significatur exclusos à fœdere, & non esse Dei populum: quemadmodum Paulus Rom. 10. 19. gentes describit populum, qui populus non est. Annon igitur miseria est, non esse Dei confœderatos? Secunda pars externæ conditionis est his verbis, *in carne*, Ezech. 44. 7. appellantur præputiati carne. Hìc igitur intelligo præputiatos carne, quæ etiam est nota miseriæ. Circuncisio nota fuit populi Dei, quæ testabatur populum esse Dei, & obsignabat fœdus. Annon igitur hæc miseria est, destitui nota populi Dei? Tertia pars externæ conditionis est his verbis, *qui dicebamini præputium*. Et hac quoque parte significatur quàm miseri fuerint. Scimus graue esse nos miseros reipsa esse: verùm duplex est ea miseria, quæ per exprobrationem obiicitur nobis. Fuerunt reipsa miseri Ephesii, quòd gentes essent, quòd in carne essent, sed eò miseriores erant, quòd miseria ipsis exprobrata esset Huius rei exemplum habes 1. Sam. 17. 26, quo loco Da-

In carne.

Præputium dicti.

uid exprobrat Goliatho præputium. Quis est iste præputiatus Philistæus, quòd probro afficit acies Dei viuentis? Sed à quibus probri loco obiectum est Ephesiis præputium? *Ab ea*, inquit *quæ vocatur Circuncisio in carne*. Hoc est, Israelitis & Iudæis, inter quos masculi, tanquam capita generationis, sub quibus continebantur fœminæ, octauo die circuncidi iubebantur.

Et quidem ab Israelitis & Iudæis.

Doctrinæ.

Hìc 1. discimus oportere nos prius recordari miseræ conditionis nostræ extra Christũ, quàm felicis in Christo. Nunquam enim magnitudinem beneficii sentiemus priùs quàm sentiamus magnitudinem miseriæ. 2. Obseruamus vel ea re sola miseros esse nos, si destituamur externis notis populi Dei, 3. Videmus Deum ipsum, & pios homines de reprobis & à Dei fœdere exclusis, semper contemptim locutos esse. Causa est: Homo sine Deo nihil est, imò quauis bestia vilior est: hinc fit vt omnes creaturæ, quæ persistunt in Dei obediẽtia, illi maledicant. Ait Dominus de Caino, Ab ipsa etiam terra maledictus esto. Hanc confessionem vilitatis & miseriæ suæ quæ est sine Deo, ab ipso homine sæpe extorquet conscientia, vt à Caino, vbi auersam à se Dei faciem sensit. Ero, inquit, vagus & erro in terra: vnde futurum est vt cùm vllus inuen-

1. Recordatio miseriæ.

2. Miseria vera, quæ.

3. Homines, extra Dei fœdus, contemptibiles.

lus inuenerit me, occidat me. 4. Iudæi, vt vides, censent miseras gentes, quæ tamen positæ erant in luce huius mundi. Quis igitur est, qui de hominum felicitate, vel infelicitate rectè potest iudicare? Is nimirum, qui in Dei fœdere est, & didicit ex eius verbo omnia æstimare. Nam ille ex spiritualibus & cælestibus æstimat hominem, cùm mundus ex carnalibus & mundanis iudicet. Philistæi proculdubio Goliathum suum felicem iudicarunt, quo tempore David per opprobrium præputiatum Philistæum nominauit.

4. Soli fœderati cum Deo de hominum felicitate & infelicitate rectè iudicant.

Vos inquam illo tempore. Sequitur interna & spiritualia conditio Ephesiorum, quæ fuit eodem tempore quo externa illa fuit, quæque ab externa etiam figurata est, & significata. Eius primùm quatuor partes facit: deinde vno verbo comprehensam colligit, *Mementote*, inquit, *Vos illo tempore*, nempe, quo hæc fuit externa vestra conditio, *fuisse absque Christo:* éstque hæc prima ex illis quatuor partibus, à qua meritò orditur: fons enim est omnis miseriæ, Christo destitui. Quid enim habere potest, qui Christo caret? contráque qui Christum habet, quid est quo carere potest? *Alienos à republica.* Secũda pars ex prima illa existẽs. Nomine reipublicæ Israelis intelligo visi-

Altera pars prioris exhortationis, vt recordentur miseriæ suæ spiritualis.

Fuerunt enim Absque Christo.

Alieni ab Ecclesia.

bilem illam Ecclesiam, quæ tunc tempori in Israele fuit. Hæc pars pendet ex priori nam qui est sine Christo capite, is separatus est ab Ecclesiæ corpore: vt contra, qu coniunctus est cum capite, coniunctus es quoque cum corpore. *Extraneos à pactis*

Extra Dei fœdus.

Tertia pars ex duabus prioribus exsurgés. Pacta promissionis intelligo ea fœdera quibus promisit Deus, se Israelis Deum futurum. Sequitur hæc pars ex duabus prioribus: nam qui est sine Christo, & alienu ab Ecclesia, nihil ad illum promissione pertinent. Promissiones enim omnes in Christo in gratiam Ecclesiæ factæ sunt. *Spem non.* Quarta pars, quæ pendet ex trib superioribus. Nomine spei intelligo etian fidem. Fides enim est, quæ firmiter assentitur veritati promissionis, eóque rem promissam certo quodam modo præsenter apprehendit. Spes expectat per patiétiam rei promissæ complementum, quòd vbi erit, tum quidem futura est rei apprehensio non amplius ex fide in promissionem (nam tum promissio euanescet) verum ex aspectu ipsius rei longe iucundissimo. Spes igitur semper præsupponit fidem in promissionem. Sequitur autem hæc pars ex proxima: cui enim non est facta promissio, quid credere aut sperare potest? vt cótra, cui fa

Fide & spe vacui.

ta est promissio, habet quod credat, & spe et. Atque hæc de quatuor illis partibus in ernæ conditionis miseræ: quas, si lubet, in uas potes summatim contrahere, ita vt uas priores comprehendas priuatione ommunionis Christi, vt sanctorũ: de qua ommunione in Symbolo Apost. legimus:)uas verò posteriores complectaris priua ione promissorum beneficiorum, nempe, emissionis peccatorum & vitæ æternæ, v- a cum fide & spe, quibus illa nobis appli- antur. De his etiam beneficiis ad commu ionem illam sanctorum pertinentibus, le es in Symbolo Apost.

Miseria illa interna in duas partes contrahi potest: quæ sunt priuatio communionis Christi, & sanctorum. Horum sanctorum priuilegia.

Dei expertes. Nunc vno verbo compre- endit internam illam miseriam, eámque d vnũ caput Atheismi reducit: quem qui- em definire potes ex partibus superiori- us, ita vt Atheismus sit, esse absque Chri- to, esse alienos ab Ecclesia, esse extraneos promissione, denique spem non habere. ed quæres, Annon Gentes cognouerunt)eum? quod Rom. 1. 21. disertè asseueratur. ropterea quòd cùm Deum cognouerunt, empe, ex rebus creatis, tamen vt Deum on glorificauerunt. Resp. cognouisse qui- em Deum, sed cõmutasse veritatem men- acio: quibus verbis docet Paulus, quæ ex atura colligũtur vera quidẽ esse, sed ve-

Summa internæ illius miseriæ, Atheismus, qui paucis describitur.

Quæstio, An Ethnici dicendi sunt Athei.

Responsio.

ra illa quæ colliguntur & cognoſcuntur ab hominibus, abſque luce verbi præeunte, (quæ eſt corruptio & prauitas naturæ noſtræ) in vanitatem & mendacium abire. Ergo Gentes cognouerunt quidem Deum, ſed, vt eodem cap. loquitur Apoſt. viſum eſt iis cognitum in notitia non retinere. Eſt igitur regula, Non tantum ij qui reluctante conſcientia omnem opinionem de Deo aut numine ex animis eiiciunt, Athei ſunt, ſed etiam qui cognoſcunt quidem Deum, ſed cognitum, non colunt legitimè, ex præſcripto ipſius. Velim id conſiderent aliquando aduerſarii noſtri. Obſerua hîc, quos Deus non dignatur externis notis populi ſui, illi ferè ſpiritualiter miſeri ſunt ſine Chriſto, ſine Eccleſia, ſine promiſſione, ſine ſpe, & vno verbo, ſine Deo.

Regula, de Atheis, & Atheiſmo.

At nunc. Hactenus depinxit Apoſt. priorem illam Epheſiorum conditionem. Nũc deſcribit præſentem ſuperiori prorſus diſſimilem: Ideóque ait, *at nunc in Chriſto Ieſu, vos qui olim eratis procul.* &c. ſignificans particula hac aduerſatiua, *at*, conditionem quandam prorſus diſſimilem priori. Propoſitio itaque præſentis ſtatus eſt, quod nunc propinqui facti ſint, nempe reipublicæ Iſraelis, idque in Chriſto. Propoſitio non eſt nuda, ſed tribus quaſi argumentis veſtitur:

Miſeria externa & interna Epheſiorum deſcriptâ: feliciem illam depingit eorum conditionem.

Dicens, eos factos eſſe propinquos reip. Iſraelis, in Chriſto.

. Oppositione contrariæ conditionis pristinæ repętitæ, *Vos*, inquit, *qui procul eratis, propinqui facti estis*. Vnde discimus Christi beneficia seorsim à conditione illa nostra, quæ est absque Christo considerari non oportere, vt passim licet discere ex Apostolo nostro in hac Epistola: qui miseriam pristinam & felicitatem præsentem ita coniungit, vt felicitatem commemoratione miseriæ amplificet. 2. arg. est à materia, Christo, in quo Deus, tanquam in materia quadam operatur omnia beneficia, quæ ad nostram salutem pertinent. Sed intelligenda est hæc materia nobis admodum coniuncta, vt caput corpori. Quare duo sunt, materia, Christus, & coniunctio huius materiæ: de quo vtroque 1. Cor. 1. 30. Ex ipso, inquit, estis vos in Christo Iesu: vbi habes coniunctionem Christi & nostri: tum sequitur: Qui factus est nobis sapientia à Deo, iustificatio, sanctificatio & redemptio: vbi habes Christum nostra causa omnia factum. Ex Christo tanquam materia ita facto, & instructo omnibus beneficiis, & ex coniunctione Christi & nostri, sequitur participatio beneficiorum Christi. 3. argum. est à forma, qua in Christo operatus est Deus hoc beneficium. Forma est, *per sanguinem ipsius*: hoc est, meritum & sacri-

1. Quod vt illustret repetit & opponit priorem conditionem.

2. Christum proponit, caput Iudæorũ & Gentilium credentium.

3. Meritum & infinitæ virtutis sacrificium Christi.

ficium illud infinitæ virtutis: sanguis enim est Dei. Habuisti prius Christum, vt materiam, fieri omnia nostra causa : hic habes formam & modum, quo fiat omnia, nempe ipsius meritum. Vbi sciendum, non esse culpam in merito, cur acquisita beneficia non pertineant ad omnes, sed in coniunctione : non enim coniuncti sunt omnes cum Christo per Spiritum & fidem.

Quod pro omnib. sufficit, sed in omnibus non est efficax.

14 *Ipse enim est pax nostra, qui vtraque fecit vnum, et intergerini parietis septum soluit,*
15 *Inimicitiis, id est, lege mandatorum, quæ in ritibus posita est, per carnem suam abolitis, vt ex duobus illis conderet in semetipso vnum nouum hominem faciens pacem.*
16 *Et vtrosque in vno corpore reconciliaret Deo per crucem, peremptis inimicitiis per eam.*

III.
Tertia pars cap. Conditionis ac vocationis Ephesiorum confirmatio.

Ipse enim est. Tertia pars capitis, in qua confirmat vocationem illam & conditionem in Christo beatam, nempe, in Christo propinquos illos factos per sanguinem ipsius. Argumentum primum sumptum est ab officio Christi sacerdotali, quod in eo positum est, vt pacem faciat, non solum inter Deum & homines, quod tamen præcipuum est, verùm etiam inter homines mutuò, præsertim inter Iudæos & Gentes, Ec-

1. Christus Deo primum, deinde sibi-ipsis electos coniungit.

clesiam & ab Ecclesia alienos. *qui vtraque.* Docet Christum esse pacificatorem ab effectis Christi, in quibus tanquam partibus consistit pax illa. Effecta duo sunt. Primum est, Christus vtraque, vel vtrumque populum fecit vnum. Secundum est, Christus intergerini parietis septum soluit: quod quidem effectum allegoricè propositum, sequenti versu propriis vocibus explicatur. Si hæc duo effecta inter se compares, solutio septi prius ordine est effectum, vnitio verò vtriusq; populi posterius. Nam prius necesse est, diruatur intergerinus paries, vt Gentes quasi transire possint ad Iudæos, quàm vnitio fiat. Scimus enim in pace facienda necessariò prius tollenda esse de medio impedimenta quæcunque amicitiæ, & causas discordiæ remouendas, quàm consensio partium diffidentium fiat. Sed de ordine non disputo: vtut est, ex his effectis sequitur Christum esse pacificatorem.

Ratio, ab effectis, quorũ ordo videtur inuersus: at posterior pars 14. vers. est prioris declaratio perspicua. Ostendit enim Paulus quõ ex vtroque populo Iudaico & Ethnico, vnũ fecerit Christus.

Inimicitiis, id est, lege mandatorum. Proximum effectum Christi, allegoricè propositum, propriè explicat. Est autẽ allegoria, Christum intergerini parietis septum soluisse. Hanc allegoriam interpretatur, dum addit Christum aboleuisse per carnẽ suam inimicitias, id est, legem mandatorum, quę in ritibus posita est. Legem mandatorum

Fecit autem vnum ex duobus populis populum, intergerini parietis septum soluens.

Septum illud quid.

intelligit multitudinem ceremoniarum & rituum, ideóque sequitur, *Quæ in ritibus posita est*: ceremonias has, inimicitias vocat, quia præter cæteros hic vnus erat finis & vsus ceremoniarum, quo per has Deus discreuit suum populum ab omnibus aliis gentibus. Ait denique *per carnem suam* abolitas esse has inimicitias & ceremonias significans modũ, quo aboleuerit eas, nempe, per carnem suam, hoc est, quod dixit supra, per sanguinem, & posteà, per crucem dicet. Col. 1. 22. appellat corpus carnis. Carnem igitur intelligo mortem, quam in carne perpessus est. Habemus igitur Christum per mortem suam aboleuisse ceremonias, quæ erant Christi ipsius typus, & vmbram quasi cessisse corpori. Nã ceremoniæ erant vmbra rerũ futurarum: at corpus est Christi, Col. 2. 17.

Quo modo solutum sit.

Duplex finis istius adunationis.

Vt ex duobus illis. Effecti proximi ita explicati sequitur duplex finis: quorum posterior, effectum est prioris. Prior igitur est, vt faciens pacem cõderet in semetipso vnum nouum hominem ex duobus illis populis. Vbi hęc in verbis cõsideranda sunt: 1. Non ait vt coniungeret quales erãt, sed vt conderet, inquit, hoc est, crearet denuò & regeneraret vtrunq; populum inter se coniungendum: Nam Christus nos coniungen

1. Ecclesiæ ex duobus populis collectæ in vnum corpus regeneratio.

do creauit, & creando coniunxit. 2. Ait, *in vnum nouum hominem*: Non ait, in vnum populum, sed in vnum hominē, vt arctior coniunctio significetur, non tam ciuium eiusdem ciuitatis, quàm membrorum eiusdem corporis habētium vnum caput, nempe Christum, & vnam quasi animam, nempe, Spiritū eius sanctum. 3. Ait, *in semetipso*: Designat fundamentum huius vnitionis, quod est, coniunctio cum ipso Christo capite, cuius virtute fit hæc membrorum inter se coniunctio. Obseruandum autem est priorem hunc finem eundem re esse cum priori illo effecto Christi, quo dictum est, Christum vtraque fecisse vnum.

Per vnum eundémque Spiritum.

In Christo, huius vnitionis fundamento.

Et vtrosque in vno corpore reconciliaret. Hic habes posteriorem & præcipuum finem, reconciliationem & pacem cum Deo, ad quam destinata est pax illa prior hominum inter se, quapropter ait, & vtrosque iam in vno corpore existentes reconciliaret, hoc est, posteaquem in vnum corpus redacti sunt, & vniti inter se. Forma & modus huius pacis cōciliandæ est per crucem Christi, hoc est, per Christi meritum, quo acquisiuit nobis omnem spiritualem benedictionem, *peremptis inimicitiis*. Rursus ostendit modum, quo per crucem reconciliauerit Deo vtrumque populum. Modus

2. Reconciliatio & pax electorum Iudæorum & Gentilium cum Deo.

Modus huius reconciliationis.

est *per eam*, nempe, crucem, peremit inimicitias, hoc est, peccata quæ diuiserunt inter Deum & inter ipsos, vt Esaias loquitur.

Doctrinæ.

1. Christus dissidiorum in religione summus arbiter.

Nunc quędam obseruanda sunt: 1. Video hîc Christum pacificatorem ex officio decidere de controuersiis in religione & modo colendi Dei. Olim fuit magna & diuturna contentio de religione inter Israelem & gentes. Hanc litem Christus in primo aduentu suo composuit, & intergerini parietis septum soluit. His postremis temporibus eadem causa religionis totam Europam distraxit: sed quis finem faciet tãtæ discordiæ? Audeo dicere non fore finem huic malo antę secundum Christi aduentum. Expectemus igitur patienter tempus illud aduentus Christi, quoquidem, non vt olim composuit litem Iudæorum & gentium abolẽs veteres ceremonias, & nouam ac communem reuelationem vtrique populo tradens, non, inquam, tum sic faciet, sed occludens os aduersariis, suos æterna quiete in cælis compositurus est.

2. De pacis Christianæ partibus.

2. Duas partes Christianæ pacis obseruo: remotionem eorum quæ pacem impediunt, & coalitionem in vnum. Nisi ergo prius aboleatur illa maceries aduersariorum ex humanis traditionibus coagmentata, & in cælos vsque educta, nũquam conueniet

inter Christianos, qui ex solo Dei verbo pendēt,&illos suę religionis architectos.

3. Ceremoniæ Iudæorum non tantùm hunc vsum habuerunt, vt per eas Deum colerent, sed alium præterea (id quod ex hoc loco discimus) nempe, vt per eas tanquam per intergerinum parietem à gentibus separarentur. Sciamus igitur hunc etiam esse vsum religionis nostræ, vt eo tanquam muro aheneo excludantur aduersarii. Suffultiamus igitur in aduentum Christi murum hunc à Deo non ab hominibus nobis extructum. Murus ille Iudæorum ad tempus tantum & non perpetuò durare debuit, hic noster ad extremum vsque durare debet. Si igitur Iudæi suum murum, hoc est, ceremonias quibus exclusæ fuerunt gentes, ad ultimum vsque Christi aduentum defenderunt, quanto magis nos nostrum ad secundum illum aduētum vsque debemus tueri?

3. De vsu ceremoniarum legalium.

4. Tria in nouo homine creando requiruntur: 1. Vt sit coniunctio cum Christo capite. 2. Vt sit membrorum, dum inter se coniunguntur, regeneratio. 3. Relinquitur post coniunctionem cum Christo, & coniunctionem membrorum regeneratorum inter se, ipse homo nouus & perfectus.

4 Quæ requirantur in noui hominis creatione.

5. Apostolus, 2. Corin. 5. 16. ait posthac se neminem nosse secundum carnem, hoc est

5. In Christo carnalia omnia sublata sunt.

se sic versari inter homines, vt humana illa & carnalia non curet, cuiusmodi sunt genus, patria, forma, gloria, opes, in quib. sese homines fatigant. Item alibi non semel dicit non esse Iudæum aut Græcum, liberum aut seruum, marem aut fœminam, sed omnes vnum esse in Christo Iesu: & hoc loco vnum nouum hominem vocat: vnde discimus carnalia illa, quæ inter homines extra Christum discrimen fecerunt, in Christo sublata esse, ideóque ex omnibus vnum hominem factum esse. Quod si quis igitur Christianus est, qui se nimis fatigat in his carnalibus, quæ homines à se inuicem distrahunt, quî fieri potest, vt sit ille mēbrum huius noui hominis?

6. Gradus pacis Christianæ.

6. Tria sunt hîc inter se continuata. Primum Christus aboleuit ceremonias. hinc secuta est pax inter Iudæos & gentes in vnum nouum hominem coalescentes. Postremò vterque populus in vnum nouum hominem conditus Deo reconciliatur. His tribus gradibus perfici debet omnis Christiana pax. Primùm omnium inimicitiæ abolendæ sunt. deinde contrahenda est amicitia, contra sententiam multorum, qui se putant fecisse satis, si inimicitias non exerceant. Postremò amicitię inter homines finis esse debet, reconciliatio cum Deo. Ho-

Inimicitiæ tollendæ.
Amicitia contrahenda
Reconciliandi Deo homines.

nines enim inter se amicitiam cōtrahere,
k fœdera pangere debent in eum finem vt
contineantur omnes vno & communi Dei
œdere, & cum illo paciscantur : alioqui
nulla potest esse vera & Christiana amici-
ia.

7. Ait Apost. in vno corpore reconcilia-
i homines cum Deo. Ergo non est recon
iliatio eius cum Deo, qui separat se ab il-
o corpore. Quod si sciant homines, pluris
profectò facerent Ecclesiæ Dei commu-
nionem & societatem.

7. Nulla salus extra Ecclesiam.

17 *Et veniens Euangelizauit pacem vobis,*
qui procul eratis, & iis qui prope erant.
18 *Quoniam vtrique per ipsum habemus adi-*
tum per vnum Spiritum ad Patrem.
19 *Nempe igitur non amplius estis hospites*
& inquilini, sed ciues sanctorum, ac do-
mestici Dei.

Et veniens. Secundum argumentum quo
ostendit Ephesios propinquos factos esse
n Christo, sumptum ab officio Christi
prophetico, quod quemadmodum sacer-
dotale positum est in pace sancienda inter
Deum & homines præcipuè, ita & ipsum
positum est in annuncianda eadem illa pa
ce. Argumentatio est: Christus veniens E-
uangelizauit pacem vtrique populo. Ergo

2. Argumentum pro confirmatione vocationis Ephesiorum.

Ab officio prophetico Christi.

& vos Ephesii propinqui facti estis. Sed ponderemus verba: veniens, inquit, subaudi in mundum hunc *Euangelizauit pacem vobis, qui procul eratis.* Christus duobus modis Euangelizauit, altero per se, altero per Apostolos. De priori habes Hebr. 1. 1. Vltimus diebus hisce locutus est nobis per Filium. Idem probat ipse Christus de se loquens, Ioan. 15. 15. Omnia quæ audiui à Patre meo nota vobis feci. Sed sciendum est Christum ipsum tantùm circuncisis Euangelizatum, nō etiam gentibus, vnde Rom. 15. 8. dicitur Minister Circuncisionis. De posteriori modo Euangelizandi loquitur Paulus 2. Cor. 5. 19. 20. Deus erat reconcilians sibi mundum in Christo, posuítque in nobis sermonem hunc reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos, oramus Christi nomine, reconciliamini Deo. Apostoli igitur primùm Euangelizarunt pacem circuncisis, deinde gentibus post Christi resurrectionem, & illam visionem quam vidit Petrus, Act. 10. Sed quid Euangelizauit Christus & per se, & per Apostolos? Id vno nomine pacis comprehensum est. Pacis nomine intelligo recōciliationem cum Deo, de qua paulo ante diximus: de qua Rom. 5. 1. 2. Cor. 5. 19. Col. 1. 20. & superiori

Qui Euangelizauit.

Per se,

Circuncisis.

Euangelizauit

Per Apostolos, circuncisis & gentib.

Pacem.

cap. ver. 10. vbi recollectionis nomine hæc ipsa pax non malè intelligenda est. Hæc est illa pax, de qua cecinerũt Angeli, Luc. 2. 14. Gloria in excelsis Deo & in terra pax & in homines beneuolentia. Hæc est Euangelii summa, vnde ab Apostolo Euangelium sermo recõciliationis dicitur. 2. Cor. 5. 19. Sed quibus Euangelizauit hanc pacem? *Iis qui procul erant*, hoc est, gentibus extraneis à pactis promissionis, & *iis qui propè erant*, hoc est, Iudæis, domesticis & confœderatis.

Quæ est Euangelii summa gentibus & Iudæis proposita.

Quoniam vtrique per ipsum. Ratio per occupationem, cur vtrique populo pariter Euangelizauerit pacem. Id enim mouere posset Iudæos, quod dixit Christum Euangelizasse pacem etiam Ephesiis, ad quos pax & reconciliatio ipsa non pertineat. Imò, inquit, Apostolus, vtrique per ipsum habemus aditum in vno Spiritu ad Patrem. Ergò ne moueat vos, quod dico Christum Euangelizasse vtrique. Vide non valdè absimilem sententiam, Rom. 5. 2. Per quem etiam fide habemus hũc aditum ad gratiam hanc in qua stamus. Hanc mediationem assumit sibi Christus, Ioan. 14. 6. Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Locutio igitur metaphorica est, qua significatur per Christum Mediatorem vtrumque populum simul reconcilia-

Ratio huius Euangelizationis.

Mediationis Christi efficacia.

tum Deo Patri.

Quo fine Euāgeliū gentibus vt Iudæis sit oblatum.

In vno Spiritu. Dixit ſupra cum de reconciliatione loqueretur, Deum reconciliaſſe ſibi vtrumque in vno corpore. Nunc ait, in vno Spiritu, eodem ſenſu, vt mihi videtur. In vno Spiritu igitur eſt coniunctim & ſimul: quaſi diceret, coniunctim reconciliauit tanquam vnum hominem, vno Spiritu veluti vna anima præditum. Sequitur ergo coniunctim vtrique Euangelizaſſe pacem. Nam ſi tanquam vnum hominem vtrunque populum reconciliauit Patri: ſequitur profectò eum vtrique populo ſic vnito prædicaſſe. Sed eſt præterea quod verbis his intelligitur, nempe, hunc vnum Spiritum quo inter ſe vniuntur, eſſe etiam ducem, quo præeunte, per Chriſtum tanquam ianuam ad Deum Patrem accedimus. Spiritus enim hic excitat in nobis fidē, per quā, ait Apoſtolus Rom. 5. 2. aditum hunc habemus ad gratiam hanc in qua ſtamus.

Vtrique Deo reconciliati ſunt per Chriſtum.

Vtriſq; idem adoptionis Spiritus donatus.

Doctrinæ.

1. Chriſtus perfectus Mediator.

Ex his quædam obſeruamus: 1. coniungit hoc loco duo: Pacem factam à Chriſto, & Euangelium pacis prædicatum à Chriſto. diſces igitur Chriſtum perfectum Mediatorem eſſe, qui non ſolùm reconciliauit nos Patri, ſed etiam hanc reconciliationem Euangelizauit.

Pa[x]

2. Pax cum

2. Pax cum Deo, & Euangelium pacis coniung

coniungenda ſunt. Quorſum enim attinere: Principẽ paciſci cum ciuibus ſuis priùs à ſe alienatis, niſi eam pacem curaret promulgandam? Deus reconciliauit nos ſibi: quam cõſolationem inde caperemus nos, niſi ea reconciliatio per Euangelium promulgaretur? Viderint hoc homines illi qui Euangelium faſtidiẽtes, audent tamen dicere ſe Deo reconciliatos. Profectò ſi ſentirent illi aliquando conſcientiæ ſtimulũ, nihil minus viderent, quàm ſe Deo reconciliatos: Imò diſcerent inter ſe & Deum nihil eſſe niſi bella & inimicitias, atque horrore terribili concuterentur.

Deo, & Euangelij prædicatio res coniunctæ.

3. Duo hîc coniungit, reconciliationem pariter vtriuſqũe populi cum Deo, & prædicationem reconciliationis ad vtrunque pariter pertinentem. Ergo ad quos pariter pertinet reconciliatio, ad eos pariter pertinere debet prædicatio reconciliationis. Miſerum igitur eſt Euangelium non prædicari, hominum auariſſimorum & ſacrilegorum vitio in multis huius regni partibus. Nam inde fit vt in miſeris hominibus non ſit efficax ipſa reconciliatio, cùm, vt ſupra notatum eſt, reconciliatio efficax & prædicatio recõciliationis coniuncta ſint.

3. Ad quos pertinet reconciliatio, pertinet & reconciliationis prædicatio.

4. Iudæi inuidebant vocationem gentibus, 1. Theſ. 2.16. Prohibentes nos gentibus

4. Diſcrimen veræ & falſæ Eccleſiæ.

loqui vt ſeruentur, vt ſemper complean peccata ſua: occupauit enim eos ira ad extremum vſque. Ideo Paulus hoc loco, vt & multis aliis, contra eos aſſerit ad vtrumque populum ſpectare reconciliationem ac proinde ſermonem reconciliationis, hoc eſt, Euangelium. Nota igitur diſcrimen verorum membrorum corporis Chriſti & aliorum. Alij neque ipſi ingrediuntur regnum cælorum, neque alios patiuntur ingredi. Qui ſunt vera membra corporis Chriſti, & ipſi volunt ingredi & cupidiſſimi ſunt ſalutis aliorum, vt vnà cum reliquo corpore ingrediantur regnum cælorum, & Deus ſit omnia in omnibus.

Concluſio tractationis de Epheſiorum efficaci vocatione.

Nempe igitur. Concludit ex duobus illis allatis argumentis, quod inſtituit, nempe non ampliùs eſſe Epheſios hoſpites & inquilinos, ſed conciues ſanctorum & domeſticos Dei. Vbi obſerua, vt ſit aliquis conciuis ſanctorum, oportere primùm reconcilietur Deo & Eccleſiæ, deinde audiat Euangelium prædicatum: ſiquidem hæc argumenta ſunt, quibus confirmat Paulus vocationem Epheſiorum ad Eccleſiæ ſocietatem.

Doctrina.

20 *Superſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum, cuius imus angularis lapis eſt ipſe Ieſus Chriſtus,*

21 *In quo totum ædificium congruenter coagmentatum crescit, vt sit templum sanctum Domino.*

22 *In quo & vos vnà ædificamini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritum.*

Superstructi. Vt videant Ephesij, iam socij facti Ecclesiæ, quo loco sint, Ecclesiam, ad captum ipsorum ædificio comparatam, primùm describit in genere: deinde descriptionem ad ipsos applicat. Nam etsi principio hæc de Ephesiis dicantur, tamen ver. 21. totam Ecclesiam superstruit imo angulari lapidi Christo. Descriptio constat quatuor partibus. Describitur Ecclesia 1. ab arctitectis, Prophetis & Apostolis. 2. à fundamento. 3. à progressu ædificij ipsius. 4. à perfectione & fine. Architecti igitur sunt Prophetæ & Apostoli. Hoc Paulus de se profitetur 1. Cor. 3. 10.

Amplificatio gratiæ Dei Ephesiis collatæ, per metaphoram, in qua describitur Ecclesia.

1. Ab architectis,

Ego igitur vt peritus artifex fundamentum posui. Ergo hoc loco significatur Prophetas & Apostolos iactores esse fundamenti Ecclesiæ. Pontificij intelligunt hoc fundamentum de Prophetis & Apostolis ipsis, quasi verò ipsi sint illud Ecclesiæ fundamentum: vt, scilicet, obtineant Papam suum, quem successorem Petri appellant, fundamentum & caput esse Ecclesiæ. Sed

Qui sunt Prophetæ & Apostoli.

hoc est detorquere scripturam in perniciem suam.

2. A fundamento

Vt igitur ad secundam descriptionis partem veniamus: quodnã est hoc, de quo loquitur, fundamentum? Apostolus 1. Cor. 3. postquam se peritum Architectum nominauit in ponendo fundamento, quodnam sit illud fundamentum statim post subiicit.

Quod est Christus.

Nam, inquit, fundamentum aliud non potest ponere præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Ergo Christus est illud fundamentum. Verùm quid opus est aliunde petamus fundamenti huius expositionem, cùm eam hoc ipso loco statim

Ipso Apostolo teste.

subiiciat Apôstolus, dum dicit, imo angulari lapide existente ipso Christo, quasi diceret, fundamento illo, vel certè præcipua fundamenti illius parte existẽte ipso Christo. Ergo Christum exponit fundamentum quem vocat imum angularem lapidem, ac proinde fundamentum. Nam quod prius vocauit fundamentum, posteriùs exponit imum angularem lapidem, imitatus Dauidem

Dauide item.

Psal. 118.22. Quem lapidem spreuerãt structores, is est in caput anguli: & Esa. 28.

Et Esaia.

16. quo loco expressè angularem hunc lapidem, fundamẽtum vocat. Ecce ego fundamentum posui in Sione lapidẽ: lapidem probationis, angularem. Sed hoc manife-

ſtius erit, ſi videamus quem locum teneat angularis lapis in ædificio. Angularis lapis in ædificio is eſt qui infimum locum anguli obtinet: meritò igitur appellandus eſt fundamentum ædificij. Neque enim ſolum continet parietes, verumetiam ædificij totius molem ſuſtinet, ob eámque cauſam ſolent periti architecti maximum quemque & ſolidiſſimum lapidem angulo ædificij ſubſternere. Ex quibus videmus angularem lapidem præcipuè fundamentum & eſſe & appellari. Quare ſenſus eſt. Exſtructi ſuper fundamentum, imo angulari lapide, hoc eſt, illo fundamento exiſtēte ipſo Chriſto.

Quorum teſtimonia expenduntur.

Hic obſerua quædam: 1. Non aſſentimur cuius rei in quacunque ſcientia & cognitione, priuſquàm ad ipſum fundamentum perueniremus, ad quod vbi ventum eſt, quieſcimus. Sic in re religionis vel multo magis non priùs habemus firmam fidei aſſenſionem, quàm fundamentum ipſum doctrinæ Chriſtianę attigerimus, huc vbi vētū eſt, quieſcimus & credimus. Sed de hoc fundamento Religionis tota controuerſia eſt inter nos & aduerſarios. Dicunt quidē illi fundamentum præcipuum eſſe Eccleſiæ authoritatem, qua maximè volunt niti certitudinē doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ. Vnde etiam authoritatē Eccleſiæ

Hinc doctrinæ.

De religionis Chriſtianæ certitudine.

De religionis fundamento.

præferũt Scripturæ ſacræ. Sed nos affirmamus fundamentum illud, quo nititur Eccleſiæ fides, eſſe Doctrinam Propheticam & Apoſtolicam de Chriſto. Audiamus igitur Apoſtolum hoc loco decidentem de lite iſta, & affirmãtem fundamentum Eccleſiæ ipſius, eſſe doctrinam Propheticam & Apoſtolicam de Chriſto, quandoquidem Eccleſiam ædificet ſuper hoc fundamentum. Illi igitur dum docent Prophetarum & Apoſtolorum doctrinam niti fundamẽto Authoritatis Eccleſiæ: quid aliud faciũt quàm monſtroſum planè nobis extruunt ædificium, ſuperſtruentes fundamentum ipſi ædificio ac tecto. Monſtroſum ædificium, non minus monſtroſa doctrina. Sentiunt interea hoc pij, quicquid illi ſomnient, non confirmari fidem noſtram prius, quàm iaciat quaſi anchorã in doctrina illa Prophetica & Apoſtolica de Chriſto.

de veræ fidei cõfirmatione

De duplici vſu fundamenti & lapidis ſuper quo ædificatur Eccleſia.

2. Matth. 21. 42. duplex ſtatuitur vſus huius lapidis: Primùm dicitur angularis lapis ſuper quo ædificatur Eccleſia: deinde dicitur lapis offenſionis, in quem qui ceciderint, conquaſſabuntur, ſuper quem vero ceciderit, diſſipabit eum. Paul. Rom. 9. 31. &c. docet quomodo factus fuerit lapis offenſionis Iudæis, nempe, quia non ex fide, ſed velut ex operib. legis quærebant iuſtitiam.

Ergo iis solis quærũt iustitiam in Christo, lapis hic est pro fundamento. Viderint hoc Papistæ, qui quærũt Iustitiam ex operibus legis, faciúntque sibi lapidem hunc, non tam fundamentum, quàm offensionis lapidem.

In quo totum ædificium. Tertia pars descriptionis à progressu ædificij. Progressus duabus partibus comprehenditur primùm coagmentatione viuorum lapidum, vt vocat eos Petrus, secundò incremento ædificij. Coagmentatio prius exponitur, *In quo,* inquit, *totum ædificium cõgruenter coagmentatum.* Ea duplex innuitur: vna lapidum omnium, atq; adeo totius ædificij cum imo angulari lapide, altera lapidum ipsorum inter se. Prior significatur primis verbis, *in quo,* nempe, Iesu Christo imo angulari lapide. In Christo autem esse, significat cum eo coniungi. Ergo in Christo coagmentari ædificium, est ita coagmentari, vt primùm cum ipso coniungatur, ipsóque quasi nitatur: deinde lapidum inter se coniunctio & coaptatio fiat. Posterior coagmentatio est in verbis, *congruenter coagmentatum:* quibus significatur congruens ipsorum lapidum inter se coniunctio. Sed vt de hac coagmentatione præterea aliquid dicamus: In communibus ædificiis scimus non coa-

3. Describitur item Ecclesia, à progressu ædificij.

Progressus comprehenditur primũ viuorũ lapidũ coagmentatione duplici.

Vnâ, lapidum omnium, atque adeo totius ædificij cum fundamento.

Alterâ, lapidũ ipsorum inter se.

gmentari lapides, nisi interueniente glutinosa aliqua materia, vt cæmento, quo illi inter se inuicem compingãtur & constringãtur: idem hîc sentiendum est. Vinculum igitur illud, quo cõtinentur lapides isti viui, tum secum inuicem, tum cum communi fundamento, est Spiritus Dei: vnde domus spiritualis à Petro appellatur. Vnus enim idémque Spiritus est, qui in Christo ipso est, & in lapidibus viuis: & vnus est Spiritus in omnibus lapidibus. Sed sciendum est hunc Spiritum vnũ vti ministerio duorum instrumentorũ, quæ ipse efficit in nobis, in hac coagmentatione facienda: Primum est fidei, qua coniungit lapides reliquos cum angulari lapide. Secundum est charitatis, qua coniungit lapides inter se: vnde vinculum perfectionis appellatur.

Cæmento Spiritus Dei.

Duplici instrumento vtentis

Fide.

Charitate.

Hæc de prima parte progressus ædificij, sequitur altera de incremento. Incrementum quoque duplex intelligẽdum est: Primum est in multiplicatione lapidũ struendorum super hoc fundamentum. Huius incrementi gratia differt aduentum suum Christus: necesse enim est omnes lapides afferantur ad hanc structuram priusquam Christus venturus sit ad iudicãdum viuos & mortuos. Secũdum incrementum est in augmento singulorum lapidum. Necesse

Progressus ædificij comprehenditur etiam incremento, consistente

In multiplicatione lapidum struendorum,

In augmento singulorum lapidum.

enim eſt, ſinguli lapides creſcant in hoc ædificio: vnde Petrus lapides viuos appellat. 1. Epiſt. 2.5. Ipſe quoque velut viui lapides ædificemini. Incrementum hoc, eſt fidei, ſanctitatis, charitatis, & reliquarum Chriſtianarum virtutum: de quo Apocal. 22.11. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc: & ſanctus ſanctificetur adhuc.

Quod eſt fidei & bonorum operum.

Doctrina.

1\. Obſerua, ſi velimus perfici & abſolui hoc ædificium, id quod nobis omnibus ſerio exoptandum eſt, comportandi ſunt à ſingulis, pro viribus & vocatione ſua, viui lapides ad hoc ædificium: hoc eſt, adducendi ſunt ad Chriſtum homines.

2\. Videndum eſt etiam cuique, vt ipſe ædificetur & augeatur quotidie fide, charitate, omniq; ſanctitate.

4\. Eccleſia deſcribitur à fine & perfectione operis.

Vt ſit templum. Quartum & vltimum argumentum deſcriptionis, à fine & perfectione operis, vt ſit tẽplum ſanctum Domino. Alludit ad templum Hieroſolymitanum, quod typus fuit Eccleſiæ Chriſti. Vocat ſanctum in Domino. (nam illud *in Domino*, coniungo cum *ſanctum*:) quia ſanctificatum eſt in imo angulari lapide Chriſto, quocum ipſum coniungitur. Emittit enim Chriſtus Spiritum ſuum in hoc tẽplum eiúſque lapides: Spiritus emiſſus ſanctificat templum: ſanctificato tẽplo inha-

bitat in eo Spiritus: inhabitante in eo Spiritu, habitat in eo Christus per Spiritum suum Per hoc, inquit, scimus nos habitare in ipso, & ipsum in nobis, quod de Spiritu suo dederit nobis.

Obiectio. Obiici potest singulos lapides ab Apostolo vocari templi nomine. 1. Cor. 3. 16. & 6. 19

Responsio. Respondeo nihil hîc repugnans esse, Deus enim per vnum eundémque Spiritum habitat in singulis lapidibus, & in toto ædificio. Obserua hîc ædificij huius perfectionem. Ecclesia Dei inuitis omnibus inimicis tandem perficietur. Noui Templi Hierosolymitani, quod typus erat Ecclesiæ Christi, valde diu impedita est ædificatio & structura, sed tandem perfecta & absoluta est: Perficietur & hoc ædificium tãdem inuitis omnibus inimicis, qui operis extructionẽ, quantum in se est, impediunt. sed perfectio ista erit in secundo demum Christi aduentu.

Specialis applicatio ad Ephesios. *In quo & vos vna ædificamini.* Nunc applicat quod in genere Ecclesiæ tributum est, ad Ephesios speciatim. In quo, inquit, nempe, Christo imo angulari lapide, & vos vnà cum reliquo ædificio ædificamini. Finis est, *vt sitis habitaculũ Dei per Spiritum.* Per Spiritum, dicit, quia Deus habitat in nobis per Spiritũ suum, vt suprà diximus.

Hactenus hæc, & de Ecclesia in genere, & de Ephesijs in specie ita à nobis explicata sunt & resoluta.

Analysin loci huius etiam alteram, si lubet, accipe. Vers. 20. agitur de superstructione & ædificatione Ephesiorum in specie, super fundamētum Christum. Nam vt eos firmiter stare doceat in hoc præsenti statu, ostendit superstructos esse super firmissimum fundamentum. Est igitur amplificatio illius conditionis iam conclusæ. Vers. 21. ab hypothesi ad thesin transitur, agitúrque de ædificatione totius Ecclesiæ super hoc idem fundamentum Christum. Vers. denique 22. reditur à thesi ad hypothesin, & tractatur de ædificatione rursus Ephesiorum super fundamentū Christum. Hæc hactenus.

Altera huius loci analysis.

Nunc pauca obseruabimus: 1. Quod in genere tribuitur toti Ecclesiæ, nisi particulatim & sigillatim applicetur partibus & membris singulis, nulla est fidei consolatio, contra illam Papistarum generalem fidem. 2. Similitudine fundamenti & ædificij superstructi adumbratur nobis Christi & Ecclesiæ coniunctio: quæ in Scripturis ad captum nostrum exprimi solet variis figuris rerum coniūctarum, siue naturalium, siue non naturalium, sed consilio & arte

Doctrinæ.
1. Salutis doctrina singulis fidelibus applicanda.
2. De Christi & Ecclesiæ cōiunctione.

Variis simili-tudinibus ad-umbrata.

coniunctarum, cuiusmodi sunt capitis & corporis humani, viri & vxoris, vitis & palmitis, oliuæ & ramorum insitorum: denique, vt hoc loco, fundamenti & ædificij: Quibus omnibus figuris arcta illa & essentialis Christi & Ecclesiæ coniunctio adumbratur.

Sed arctior & sublimior, quàm vt humanis loquẽdi formulis exprimi possit.


Quare coniunctio hæc Christi & nostri multò magis arcta est & essentialis, quàm illæ omnes coniunctiones, quibus figuratur. Nam corpus ipsum solidius est vmbra, & quod significatur, quiddam maius est eo, quod significat. Neque enim ex illis figuris colligimus esse coniunctionem tantùm, eámque arctissimam: verùm esse coniunctionem Christi & nostri illis omnibus arctiorem.

Modus huius cõiunctionis.

Fit autem ea per Spiritum Christi apprehendentem nos, & per fidem, quam Spiritus Christi in nobis excitat, apprehendentem vicissim Christum ipsum. Persequor autem, inquit Paulus, si etiam apprehendam id, cuius causa sum apprehensus à Christo, Phil. 3. 12.

Sensus.

Hanc coniunctionem qui maximè sentit corde, maximè intelligit mente. Hanc sentiunt fideles omnes, dum in mediis huius mundi miseriis experiũtur in se desiderium Christi, quo, quasi intensis funibus Spiritus & fidei, trahuntur ad Christum propiùs participandum.



ARGVMENTVM.

Capite iij. arrepta occaſione ex proximis verbis ſuperioris cap. occurrit offendiculo crucis ſuæ. Eſtque hæc quarta pars Epiſt. comprehenſa hoc cap. in quo primum hortatur ne ſegneſcant ob afflictiones ſuas pro ipſis, ad verſ. 14.

Deinde egreditur in locum beneuolentiæ, quam ſignificat ex ſeriis admodum pro ipſis precibus, ad finem cap.

CAPVT III.

1 *Huius rei gratia ego Paulus ſum captiuus ille Chriſti Ieſu pro vobis gentibus.*
2 *Siquidem audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi apud vos,*
3 *Deum videlicet per reuelationem notum mihi feciſſe myſterium illud (ſicut ante ſcripſi paucis,*
4 *Ex quo perlecto poteſtis intelligere, quæ ſit mea intelligentia in myſterio Chriſti)*
5 *Quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, vt nunc retectum eſt ſanctis Apoſtolis & Prophetis per Spiritum.*
6 *Gentes videlicet eſſe cohæredes & concorpores, conſortéſque promiſſionis eius in Chriſto per Euangelium.*

HVius rei gratia. Prima pars capitis, in qua hortatur ne ſegneſcant ob afflictiones ipſius. Argumentum hortationis ſumitur à cauſa afflictionum

1. Prima pars, continens exhortationem, vt non ſegne-

scant pij propter Apostoli afflictiones.

suarum, nempe, ipsis Ephesiis gẽtibus. Ratio itaque est: Ego Paulus sum captiuus ille Christi pro vobis gentibus, huius rei gratia, nempe, vt vos in Christo vnà ædificemini. Ergo peto ne segnescatis ob afflictiones meas. Conclusio hortationis sequitur vers.13. Habemus in hoc antecedente, primùm finem captiuitatis Pauli, deinde captiuitatem & conditionẽ ipsam, postremò pro quibus captiuus sit. Finis est statim in primis verbis. *Huius rei gratia*, nempe, vt vos in Christo vnà ædificemini, vt sitis habitaculum Dei per Spiritum. Verba enim hæc referuntur ad ea quæ proximè dicta sunt, vlt. vers. præced. cap. Deinde est conditio Pauli his verbis: *ego Paulus sum captiuus ille Christi.* Nam emphasis est, vt significetur Paulum non vulgarem aliquem captiuum, sed celebrem & nobilem, vt & ipse Paulus celebris erat, quòd dictaretur is esse, qui Iudæis gentes exæquaret, atque eo nomine Iudæos omnibus exosos redderet. Act.21. 24. 25. Tantum itaque abest, vt pudeat Paulum conditionis suę & captiuitatis, vt hinc occasionem commẽdandi se Ephesiis arripiat, & quodammodo glorietur de vinculis suis, vt ipse de se ait 2.Cor. 12.5. De meipso verò non gloriabor nisi ex infirmitatib. meis. Vocat se captiuũ Chri-

Quarum finẽ proponit.

Et statum, siue conditionem.

Nempe quòd sit captiuus Christi,

Vnde illi gloriatio.

ſti: ſic etiam 2. Tim. 1. 8. Ne igitur te pudeat teſtimonij Domini noſtri, neque te pudeat mei, qui ſum captiuus ipſius. Loquutio ſimilis eſſe videtur ei, qua ſolemus dicere eum, qui pugnans pro aliquo aduerſus hoſtem, captus eſt ab hoſte, captiuum domini ſui, hoc eſt, pro domino ſuo. Verùm diſſimilitudo eſt: Qui captus eſt in bello non ampliùs eſt iuris eius ſub quo militabat, ſed victoris, qui eum cepit: qui verò captiuus eſt Chriſti, etiam adhuc ſub Chriſti iure manet, dicente Paulo Rom. 14. 8. Siue viuimus, Domino viuimus: ſiue morimur, Domino morimur: Siue igitur viuamus, ſiue moriamur, Domini ſumus: Ad hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & reuixit, vt & mortuis, & viuentibus dominetur. Hinc exurgit vnica conſolatio Chriſtiani hominis, quod non in vita ſolùm, ſed in afflictionibus, adeóque in ipſa morte Chriſti ſit, neque poſſit quiſquam eum rapere de manu eius. Poſtremò, habemus in hoc antecedente, pro quibus ſit captiuus, nempe, pro Epheſiis gentibus. Sic Col. 1. 24. ait ſe gaudere de iis, quæ patitur pro ipſis: Erant autẽ Coloſſenſes ex gẽtib. Pro gẽtibus captiuus erat, quia Apoſtolus & doctor gentiũ fuit, vt poſtea videbimus. Ideóque quicquid paſſus eſt in Apoſtolatu

Quum ſit potentiſsimi Domini cliens, & miles ſummi Ducis.

Vnde eximia Chriſtiani hominis conſolatio.

Proponit tertio loco, eos pro quibus ſit captiuus.

illo, id, pro gentibus passus est.

Doctrinæ.

1. Gloriandũ in afflictionibus.

Hîc quædam erunt obseruanda: 1. Rom. 5.2. gloriamur, inquit Paulus, sub spe gloriæ Dei, neque id solùm, sed etiam gloriamur in oppressionibus. Hîc quod illic docuit, ipsum fecisse videmus. Gloriando enim ait, Ego Paulus captiuus ille Christi. Laudabile in ministro Euangelij est, si quod docet, ipse faciat. 2. Ait se captiuum Christi pro gentibus. Ergo in causa Christi pro ipsis & eorum bono captiuus erat. Hoc difficilius est factu, quàm multi fortasse existiment, facilè homo pro homine patiatur vel mortem ipsam in causa ipsius priuata, sed vix centesimus quisque reperietur, qui pro aliquo patiatur in Christi causa. Quid causæ est? Nimirum naturâ prompti sumus ad quiduis tolerandum pro amicis, cùm agitur de mũdo hoc, & de rebus his terrenis. Supra naturam verò est, imò verò contra naturam est, affligi velle vel nostra vel aliorum causa in Christi negotio. Particeps esto, ait Paul. 2. Tim. 1.8 afflictionum Euangelij: sed qua vi? Per potẽtiam Dei, inquit: Nisi enim Dei potentia sustineamur in afflictionibus pro Christo, necesse est animum despondeamus: Non enim minùs arduum est pati pro Christo: quàm credere: ideóque Paulus vtrumque, donum Dei similiter

2. Summa piorum gloria affligi velle sua, & aliorum causa in Christi negotio.

Cuius charitatis exemplo, Paulus.

militer appellauit. Philip.1.29. Quia vobis datum est in Christi negotio, non solùm in eum credere, sed etiam pro eo affligi. 3. Offenditur sæpe grex afflictione Pastoris. Sed hîc remedium duplex habes aduersus illud tantum malum: Alterum, vt etiam glorietur ipse Pastor de afflictione sua apud gregem: Alterum, vt grex pro se affligi Pastorem intelligat. Hoc modo Esaias obuiam it offensioni populi Iudaici, qua impingebant in crucem Christi. 53.5. Nam ipse dolore afficitur ex defectionib. nostris, atteritur ex iniquitatibus nostris, &c. Sic Paulus hoc loco remouet offendiculum Ephesiorum: Sum, inquit, captiuus ille Iesu Christi pro vobis Gentibus.

Philippenses

3. Remedium aduersus tentationem piorum ob pastoris afflictiones.

Siquidem audistis. Digressio in qua per occupationem exponit illis dispésationem gratiæ Dei, quæ data est sibi erga gentes, hoc est, asserit Apostolatum suum datum sibi apud gentes. Posset igitur obiici: Cur te captiuum dicis pro nobis Gentibus? Respondet id ita quidem esse, si modo audierint Apostolatum illum datum sibi apud gentes. Sed verba expendamus. Vocationé etiam & Apostolatum appellat *dispensationem*, vocabulo mutuato ab œconomia illa, quæ est in familia: similiter enim vocationes Ministrorum sunt quasi dispensationes

Remedium illud proponit, argumento súpto ab vtili.

Quid offendimini, quum vestro bono malè mihi sit?

Dispensator enim sum, inquit, in Dei familia.

ea notitia,quam ipsis dispensandam à Deo accepit:Quia Deus,inquit,notum fecit mihi mysterium.Quid mysterii nomine intelligatur, diximus supra,cùm exponeremus cap.1.nempe,res occulta.1.Cor. 2.7.Quodnam sit hoc mysterium postea videbis ver. 6.Est autē mysterium vocationis gētium. Notitiam hanc mysterii primùm explicat à modo & forma sua:deinde mysterium ipsum describit.Modus notitiæ est,per reuelationē, extraordinariam intellige,de qua Gal.1.12. Neque enim ego ab homine illud accepi,neque edoctus sum,sed patefaciente mihi Iesu Christo. *Sicut ante scripsi.* Priusquam ad descriptionē veniat, inferit ac præmittit confirmationem notitiæ suæ in hoc mysterio, argumento sumpto ab eo quod scriptum est supra, partim 1.cap. huius Epist.vers.9. vbi de mysterio hoc egit, partim 2. vbi de vocatione Gentium.vers. 13. &c.Alii hunc locum intelligunt de Epistola iam ante hanc scripta,sed nihil hîc video quod hoc cōuincat.Verum etsi demus illud,hic aliam quādam iam antè scriptam epistolam intelligi, tamen nihil proficient Papistæ,qui ex his & similibus locis arrepta occasione clamant Scripturam esse mutilam, vt sit locus humanis traditionibus, quas dicunt esse eiusdem cum Scriptura a-

Nēpe, se esse illis constitutum idoneum mysterii crucis,& vocationis Gentium dispensatorē.

Idque extraordinario modo.

Et sufficienti.

Nec enim notitia fidis Dei seruis de mysterio Euangelii gratis per Spiritū S. &verbum scriptum communicata, cæca

thoritatis. Nam etiam si scripta quædam Apostolica non extent, quicquid tamen necessariæ doctrinæ in illis fuit, illud totum contineri in his quæ habemus certum est: Quicquid enim in illa Epistola, si modo fuerit aliqua, de mysterio hoc dictum est, in hac Epistola summatim est comprehensum. Deinde vt semel dicam quod res est, integram salutis nostræ doctrinam, in Scriptura ea quæ extat Deus Ecclesiæ tradidit, & ad finem mundi cõseruabit: Ioan. 20. 30. Multa etiam alia signa edidit Iesus, quę nõ sunt scripta in hoc libro: hæc autem scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christũ Filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Ergo quæ scripta sunt, ea sufficiunt ad fidem & salutem.

& imperfecta est: nec Scriptura est mutila, vt ad traditiones humanas sit recurrendum.

Hic obserua: 1. Paulus non contentus sola significatione dispẽsationis suæ, profert notitiam illam, quam à Deo ipsis dispensandam accepit. Nemo igitur iactet temerè vocationem, cum nihil, aut parum notitiæ & cognitionis ex verbo Dei habeat. Debet, ait Paulus, Episcopus esse aptus ad docendum, ad exhortandum, secundum sanam doctrinam, & ad conuincẽdum. Hoc si sit, admitto vocationem, si minus sit, vocationem non probo. 2. Paulus hîc obiter probat illis suam notitiã ex scripto supe-

Doctrinæ.
1. Aduers. indoctos & verbi Dei contẽptores, qui S. ministeriũ audent capessere.

2. Reipsa probandum est te esse verbi

k 5

& Ecclesiæ ministrum.

riori. Non satis est si dicas te cognitionem habere ex verbo Dei, nisi etiam hoc probes reipsa, vel verbo prædicato, vel scripto. Conferendum enim est talentum in vsum Ecclesiæ.

Descriptionē generalē mysterij illius Euangelici aggreditur.

Quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, vt nunc retectū est sanctis. Post probationem obiter insertam, sequitur mysterij descriptio, primùm generalis, quæ est præfationis loco ad aggrauandum ipsum mysterium, quod posteà specialius exprimitur. A magnitudine autem, & nouitate rei sumpta est. Hoc est illud mysterium, inquit quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum. Sic loquitur Apostolus de mysterio vocationis Gentium non reuelato. Rom. 16.25. Ex reuelatione mysterij, quod à temporibus æternis tacitum fuit. Sic Col. 1.26. similem locum habes de tota doctrina Euangelica: quæ etiam mysterium appellatur. 2. Tim. 1.9. Tit. 1.2. 1. Petr. 1.10. &c. Nam hæc duo simul erant tempore, notitia Euangelij, & notitia vocationis Gentium. Cum doctrina Euangelij ante Christum exhibitum obscura esset, obscuraquoque fuit notitia vocationis Gentium: cum verò iam exhibito Christo manifestata est notitia Euangelij, & vocatio Gentiū etiam innotuit. Dicit reuelatum esse hoc myste-

A magnitudine & nouitate rei.

Mysteriū illud nempe nuper reuelatum est.

Etenim ante Christū exhibitum obscurum fuit.

rium per Spiritum S. Apostolis & Prophetis, quia post Christi aduentum copiosius dabatur ille Spiritus, quàm antea, Act. 2.

At nunc retectũ est Sãctis.

Quæri potest, An Patres sub Veteri Testamento ignorarint Gẽtium vocationem? Annon Iacobus, Act. 15. 13. &c. deprompto ex Prophetis testimonio, confirmat vocationem Gentium: & Paulus, Rom. 16. 26. ait mysterium hoc per Scripturas Propheticas declaratum. Respondeo, Primùm non multis olim fuisse reuelatum hoc mysterium: Deinde ne ipsos quidem Prophetas vidisse illud nisi eminus, & quasi per mediũ velum. Ideo non negatur prorsus hoc loco reuelatum fuisse, sed dicitur non fuisse reuelatum, vt nunc. Diuersę huius reuelationis manifestum exemplum habemus in Apostolis. Petrus & reliqui proculdubio habebant in manibus Prophetarum scripta, legerunt, & audierunt ea loca, quæ extant illic de vocatione Gentium à Prophetis prædicta. Sed quis omnium intellexit ea? Petrus enim non nisi post visionem illam, de qua Act. 10. 10. &c. cognouit vocationẽ Gentium. Postquam verò per visionem illam reuelatum fuit illud mysterium, tum Petrus aperto ore dixit: In veritate comperio Deum non accipere personam, sed in quauis gente acceptum ei esse quemuis,

Quòd si ante Christũ nonnullis Dei seruis patefactum est.

Id non multis, nec apertè, vt nunc.

Vt patet exẽplo & confessione Petri Apostoli post Christi in cælos ascensum.

qui eum timeat, & operetur iustitiam. Quo argumento videmus veterem illam reuelationem fuisse obscuram, nouam verò claram & manifestam. Hic tantùm obserua, illud laudabile esse in ministro, si, dicturus aliquam rem magnam, exemplo Pauli prę-paret animos auditorum allata in medium magnitudine & nouitate rei ipsius.

Doctrina.

Gentes, videlicet. Specialis descriptio mysterii huius, qua idem docetur, quod ver. 23 & 19. superioris capit. dictum est. Tres hîc expressè nominantur cōiunctiones Iudæorum & Gentium. Prima est, quod cohæredes sunt. Hæc etsi primo loco posita sit, tamen ordine temporis postrema est omnium, éstque communicatio eiusdem hæreditatis & vitæ æternæ, quæ perficitur post hanc vitam, nempe tum cum adibimus hæreditatem illam nostram, quam hîc fide & spe possidemus. Nititur autē aliis duabus. Antequam enim sit hæreditatis societas, oportet coalescamus in vnū corpus, quod Apost. Gal. 3. 16. ostendit, dum dicit: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius, non dicit & seminibus vt de multis: sed vt de vno coalescente ex Iudæis pariter & Gentibus: vbi vides hæreditatis promissionem, ac proinde hæreditatem ipsam pertinere ad totum corpus. Qui igitur velit hæ-

Descriptio specialis huius mysterii.

1. Gentes sunt cum Iudæis cohæredes gratiæ & hæreditatis æternæ.

2. Fiunt concorpores, vt tantum bonū possidere queant.

reditatis particeps esse, necesse est corpori coniunctus sit. Deinde vt sit hæreditatis societas, opus est & altera illa coniunctione & promissionis eiusdem consortio. Intelligo imprimis hæreditatis huius promissionem, quæ necessariò antecedit ipsam possessionem. Nam Gal. 3. 18. Abrahæ ipsi per promissionem dicitur Deus gratificatus esse hæreditatem. Ergo vides primam illam societatem niti duabus seq. Sed fundamentum primum omnibus substernit, dum addit illud, *in Christo.* Atque hoc est, quod disertis verbis effert, Gal. 3. 39. Quod si vos estis Christi, nempe Abrahæ semen estis, & secundum promissionem hæredes: Quibus verbis habes quatuor illa comprehensa, sic tamen vt reliquis subiiciatur tanquam fundamentum primum, Christi ipsius participatio. Instrumentum externum & ordinarium harum omnium coniunctionum subiungit, Euangelium: *Per Euangelium*, inquiens, *cohæredes & concorpores & consortes promißionis sunt Gentes in Christo.*

3. Et ante omnia promissionis tot bonorum consortes.

Quorum fundamentum Christus.

Et instrumentum, Euãgelii prædicatio.

Vnum est modò quod hîc obseruari volo. Curiosa magis quam vtilis est quæstio quædam de vocatione Gentium, cur tam diu sit ea dilata. Ex hoc loco tamen aliqua causa eius reddi potest. Coniunctio Gentium & Iudæorum in vnum corpus, constat

Doctrina.

De Gentium vocatione: & cur tam diu dilata sit.

in Christo, eiúsque, tanquam capitis, coniunctione & participatione. Est enim coniunctio cum Christo capite causa coniunctionis membrorum inter se: quare differri oportuit vocationem Gẽtium, & earum cum Iudæis coniunctionem tantisper dum exhiberetur Christus, quo exhibito necesse fuit coalitionem hanc Gentiũ & Iudæorum in vnum populum, aut potius in vnũ corpus fieri. Quanquã hoc diu ignorarunt Iudæi: virtus enim Christi capitis non ad Iudæos solùm, sed ad Gentes etiam se extendebat, cuius dominium non tantùm in Iudæos, sed in Gentes etiam efficax erat, in iis nimirum sibi subiiciendis. Vnde videtur Petrus Act. 10. 36. ex eo quod Christus sit omnium Dominus arguere, annunciatam esse pacem quibuscunque, etiam Gentibus.

7 *Cuius factus sum minister ex dono gratiæ Dei quod datum est mihi secundum efficacitatem potentiæ ipsius.*

8 *Mihi, inquam, longe minimo omnium sanctorum, data est hæc gratia euangelizandi inter gentes imperuestigabiles opes Christi.*

9 *Et in lucem proferendi omnib. quæ sit communio mysterij quod erat absconditum à sæculis in Deo, qui omnia condidit per Iesum Christum.*

10 *Vt nota nunc fiat per Ecclesiam imperiis ac potestatibus quæ in cælis sunt multiformis illa sapientia Dei.*
11 *Secundum propositum æternum, quod constituit in Christo Domino nostro:*
12 *In quo habemus libertatem et aditum cum fiducia per fidem ipsius.*

Redit ad ministeriũ suum Apostolus.

Cuius factus sum minister ex dono gratiæ Dei Postquam ad probandam dispensationem sibi datam, adduxisset notitiam suam in illo mysterio, ac mysterium ipsum descripsisset, redit ad dispensationem ac ministerium suum, illúdq; rursus proponit, arrepta occasione ex proximè præcedente Euangelij mentione. Propositio igitur est, *cuius* (Euangelij) *factus sum minister.* Verumquomodo? Ex dono, inquit, gratiæ. Sed quomodo datum est hoc donum? Ad gratiam accessit potentia Dei, quæ donum hoc gratiæ efficaciter operata est. Nam oblato dono per gratiam, nisi conspirauerit potentia cum gratia ad donũ operandum, frustrà oblatum fuerit donum, cum nulla facultas natura sit in nobis, qua possumus oblatum donum ipsi apprehendere.

Illúdq; proponit.

Obserua hîc, 1. Si animus est agnoscere Deum in dono suo aliquo, ne prædica Dei gratiam tantum, sed potentiam etiam: nam

Doctrinæ.
1. De gratiæ & potentiæ Dei coniun-

ctione in ministerio ecclesiastico.

in operibus omnibus misericordiæ diuinæ erga electos, concurrunt simul gratia & potentia: gratia, ad offerendum: potentia, ad efficaciter operandum id quod offertur. Quod adeo verum est, vt non posit fides nostra acquiescere in Deo, nisi eius gratiā simul & potentiam apprehendat. Vnde de Abrahamo dicitur, Rom. 4. 20. &c. eum aduersus promissionem Dei non disceptasse infidelitate, sed robustum factum esse fide tributa gloria Deo. Et quamobrem? quia plenè persuasum habuit eum quod promiserat posse etiam facere. 2. Non satis est si profitearis te donum accepisse, nisi etiam sensum efficacis operationis potentiæ Dei operantis donum in animo tuo aliquem aliquo tempore, & certa aliqua mensura habueris. Non satis est, si dicas te regeneratum, nisi sensu potentiæ Dei per Spiritum suum operantis, animus tuus aliquo certè tempore affectus fuerit. Non satis est si prędices donum ministerii, nisi potētiam Dei efficacem in te ipse senseris, quam si nullo tempore senseris ad mensurā aliquam afficientem animum tuum, profectò non est efficax illa quam prædicas vocatio tua. Nũc vt redeam ad regulam illam certissimam: Gratia & potentia Dei vnà conspirant ad dandum dona hominibus.

2. De sensu efficacis operationis potentiæ Dei in piis Ecclesiæ ministris.

Mihi, inquam, longe minimo. Amplificat, vel potius cum admiratione quadã extollit donum ministerii, gratia Dei sibi datũ, ídque trib. argumentis. Primum est ab indignitate & humilitate personæ suæ, hoc vers. Secundum est à materia, in qua versatur ministerii donum, nempe, inscrutabilibus opibus Christi & communione mysterii tam diu absconditi, partim hoc versu, partim seq. Tertium est à mirabili effectu & fructu ministerii in ipsis etiam Angelis vers. 10. Sensus igitur est, Ego Paulus sanctorum minimus accepi Dei gratia ministerium rei omnium maximæ quam tanto cum successu prædico, vt etiam Angeli ipsi per ministerium meum, quodammodo iam discant quæ sit multiformis illa Dei sapientia. Sed expendamus singula argumenta.

Amplificat deinde donum illud ministerii trib. arg.

1.

2.

3.

Explicatio verborum.

Primum est igitur ab humilitate personæ suæ. Vocat se minimum, non Apostolorum modò, vt alibi, verum quorumcunque sanctorum in Ecclesia Dei. Atque hoc facit non simul ita aliqua humilitate, quam piæ se ferunt alioqui maximè superbi & ambitiosi. Papa Rom. se seruum seruorum Dei vocat, cum intereà nihil cogitet animo, nisi dominationem & tyrãnidem, non in ecclesiasticos tantum homines, verum etiam in imperatores ipsos & principes hu

Primi itẽ argumenti, ab humilitate personæ suæ.

Non simulatè vt Pont. Rom.

Sed demisso prorsus animo, ob prioris conditionis consideratione m.

ius mundi. Causam cur Paulus se tantoperè deiiciat, habes 1. Corint. 15. 9. Propterea quod, inquit, persequutus sum Ecclesiam Dei. & 1. Tim. 1. 13. Qui, inquit, prius eram blasphemus & persequutor & iniuriosus: sed mei misertus est. Verùm dices, alibi Paulum æstimare sese non inferiorem etiam summis Apostolis? 2. Cor. 12. 11. Nulla enim in re inferior fui summis Apostolis.

Quod non cõtradicit sanctæ gloriationi eiusdem Apostoli.

Respõsum pete ex eod. illo loco: Quanquã nihil sum, inquit. Ergo Paulus in sese inferior fuit Apostolis, imò sanctis quibuscunque, imò verò nihil fuit: Dei gratia autem summis Apostolis inferior non fuit: Imò, inquit, plusquam omnes laboraui, nõ ego, sed Dei gratia in me. Obserua igitur duo esse, quæ nunquam simul poterunt consistere: exaltationem sui, & prædicationem doni diuini. Si tu te submiseris donum Dei extuleris: sin verò tu te extuleris, donum Dei submiseris. Si donum gratuitæ iustificationis per fidem extuleris, caue quid loquaris quacunque specie de merito tuo, hoc enim est teipsum efferre. Si donum ministerij prædicaueris, caue de te aliquid magni cogites, hoc enim est donum Dei eleuare, atque etiam efficere, id quod experientia sæpe confirmatum vidimus, vt dono illo priueris iusto Dei iudicio. Sed non

Nec enim possunt consistere superbia & prædicatio gratiæ Dei.

est silentio prætereunda mirabilis illa Dei sapientia in his donis suis dispensandis: Neq; enim solet ferè Deus spiritualia hæc in eos conferre, qui naturalibus vel mundanis facultatibus plurimum possunt, atque excellunt. Videtis, inquit Apost. 1. Cor. 1. 26 vocationem vestram, fratres vos videlicet non esse multos sapientes secundum carnem, non multos potentes, non multos nobiles. Sed solet ferè Deus dona illa sua in eos conferre, qui in mundo infirmi sunt & ignobiles, ac pro nihilo habiti, vt pudefaciat robusta, & ne glorietur vlla caro corā eo, sed qui gloriatur, in Domino glorietur.

In cuius dispēsatione mirabilis sapientia Dei fulget: quod dona eius infirmis hominibus conferuntur.

Imperuestigabiles opes. Secundum argumentum est à materia subiecta ministerij sui. Appellat eam opes Christi. Hîc est ille thesaurus sapientiæ ac cognitionis, quem dicit in Christo absconditum esse, Col. 2. 3. Hæ sunt *opes* illæ gloriæ hæreditatis Dei in sanctis, Eph. 1. 18. quibus vocatę iam à Deo, ditatæ sunt Gentes. *Inscrutabiles* esse dicit, quia oculus nō vidit, neque auris audiuit, neque venerunt in mentem hominis, quæ præparauit Deus iis qui ipsum diligunt, 1. Cor. 2. 9. Verum dices, si imperuestigabiles sunt, frustra quis eas peruestiget? Responsio ex hoc ipso loco facilis est: ait enim datam esse sibi gratiam Euangelizādi imper-

Explicatio secundi argu. à materia subiecta ministerij sui.

Hæc materia quæ sit.

Quomodo imperuestigabilis sit.

uestigabiles illas opes. Si igitur non audias Euangelii prædicationem, cõcedo tantùm abesse vt possis peruestigare has opes tam recõditas, vt ne suspicari quidem vnquam possis de iis. Sin audias Euangelium, affirmo peruestigabiles esse certo quodam modo: Nam Spiritus ille, qui omnia scrutatur, etiam profunditates Dei, per Euangelii prædicationem ministratur. Verùm sciendum est nos tantisper dũ hîc viuimus nunquam plenè peruestigaturos has opes Christi. Perfectio enim illa erit in altera vita. Cernimus, inquit Apost. 1. Cor. 13. 12. nunc per speculum, & per ænigma: tunc autem coram cernemus: nunc cognosco ex parte, tũc verò cognoscam prout edoctus fuero.

Et peruestigabilis.

Sed non plenè in hac vita.

Doctrina.

Obserua. In extollendo ministerij dono non teipsum tãtum debes intueri, ad tuam ipsius indignitatẽ inspicere, verùm altius oculos attollere oportet, atque ipsius doni naturam contemplari, & materiam illam omnium dignissimam attendere. Paulus Episcopum informaturus admonet primum dignitatis illius muneris & officij. Qui expetit, inquit, Episcopatum, pręclarum opus desiderat, 1. Tim 3. 1. Neglectus huius rei parit magnam in ministerio exequendo negligentiam, dum non attendunt miseri quanta res sit ipsis credita, & quã præclara

Ministerii donum quõ extollendum.

In eo peccant negligentes ministri.

clara. Vnde putas esse quod filij huius sæculi tam parui faciant ministros Euāgelij? Non aliunde profectò, quam ex eo quod non possunt capere quæ & quantæ sint hæ opes ministris creditæ. Magni faciunt eos quibus opes huius mundi sunt creditæ, nimirum quod eas solas sentiant, sapiant atque olfaciant filij huius mūdi. Sed pergant illi: verissimum tamen illud est, pluris esse fideles dispēsatores inscrutabilium opum Christi, quàm omnes omnium principum quæstores. Verùm honor hic non est huius mundi, sed quemadmodum opes ipsæ quæ illis creditæ sunt planè cælestes sunt, ita honor iste tandem aliquando in cælis conspicietur.

Et stulti homines, qui ministerium sacrum contemnunt

Et in lucem proferendi omnibus quæ sit communio. Persistit adhuc in materia ministerij amplificanda, & quod prius vocauit Euangelizare) nunc declarat per verbum φωτίσαι, hoc est, in lucem proferendi: vt videtur, opponens prædicationem suam clarum, vt lucem ipsam meridianam, prædicationi Prophetarum, vt lucernæ splendenti in obscuro loco donec dies illucesceret, & Lucifer hic Euangelij exoriretur in cordibus hominum, 2.Petr.1.19. Quas prius vocauit opes inscrutabiles Christi, nunc vocat communionem mysterij à seculis abs-

Amplificatio secundi arg. de ministerij sacri subiecta materia.

Est enim ministeriū communio mysterij æterni

de Ecclesiæ ex Iudæis & Gentib. constãtis redemptione & salute.

conditi in Deo. Intelligo autem communionem istam, Gentium coniunctionem cum Iudæis, & societatem in vna hæreditate, in vno corpore, in vna promissione in Christo capite, quemadmodum prius totidem partibus communionem hanc nobis explicauit. Communionem mysterij appellat, quòd mysterio illo contineatur: est enim materia quasi mysterij. Mysterium dicit absconditum in Deo. Quòd si in Deo, profectò prorsus absconditum & abstrusum fuit, neq; cuiquam etiam Angelorum patere potuit: Deus enim inhabitat lucem inaccessam, &, quis nouit mentem Domini, ait Paulus: & nemo, inquit Christus, nouit Patrem, nisi Filius, & cuicunque visum est ipsi reuelare. Ergo mysterium non immeritò absconditum dici potuit.

In immutabili decreto Dei reposita.

Qui omnia condidit per Iesum Christum. Subiungit descriptionem Dei ab opere creationis magnificam, quæ, etsi prima statim facie aliena ab hoc instituto videri possit, tamen si penitus eam introspexeris, videbis in ea latere descriptionem instituto accommodam. Ex opere enim creationis per Christum factæ relinquit Apostolus intelligendum analogia quadam & similitudine opus instaurationis omnium, etiam per Christum factæ: quasi diceret Aposto-

Cuius potentia, in operibus creationis elucens, Ecclesiæ instauratioñe magnificentissimam esse probat.

lus, qui, vt omnia condidit per Iesum Christum, ita per eundem omnia instaurauit. Hęc duo coniunxit Apost. 2 Cor. 4. 6. Deus qui dixit vt è tenebris lux splendesceret, is est qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lumen gloriæ Dei in facie Iesu Christi. Quibus verbis illustrat regenerationem & illuminationem cordium ex creatione primæ & corporalis illius lucis.

Eadem enim quæ omnia condidit, electos omnes è tenebris ad lucem illam beatam adduxit.

Doctrina.

Obserua: Euangelizare quodammodo definit, φωτίσαι, hoc est, proferre in lucem, elucere facere. Ergo reuelatio mysterij Euangelici lucet vt sol meridianus. Ergo nulla clarior & manifestior reuelatio expectanda est, quàm est ea quæ verbo Euangelij innotescit. Nam quid luce ipsa clarius aut lucidius expeti debet? Vnde damnantur phanatici illi & immoderati spiritus, qui quærunt sibi nouas, nescio quas, reuelationes, relicta illa clarissima Euangelij luce. Sed dices: Annon etiam nunc indigemus rerum multarum reuelatione? Respõdeo, verbum clarius & manifestius non esse aut expetendum, aut expectãdum: si cuiquam tectum est, tectum est illi, qui oculo lo destituitur, quo quidem lux illa verbi aspicienda est. Oculũ illum intelligo Dei spiritum, qui solus potest intueri illam lucem verbi diuini. Quare indigemus, fateor,

De perspicuitate veritatis in Euãgelio.

Aduersus Libertinos.

Quorum obiectioni occurrit.

ſæpenumerò huius Spiritus acie ad ea intelligenda, quæ alioqui ſatis lucent ſuapte natura in Dei verbo: noua aliqua reuelatione cælitus patefacienda, aut verbo illuſtriori non indigemus.

Explicatio tertij argu. à fructu & mirabili effectu miniſterij.

Vt nunc nota fiat per Eccleſiam. Tertium eſt hoc argumentum quo extollit donum illud miniſterij, ſumptum à fructu, & mirabili ipſius effectu. Angeli etiã ipſi, qui hîc imperia & poteſtates vocantur, quia per ipſos imperium, poteſtatem, virtutem & dominium ſuum exercet Deus, Angeli, inquã, intuentes Eccleſiam, in ea, tanquam in ſpeculo, contemplantur imaginem quandam multiformis ſapientiæ Dei. Effectus autem hic non proximè eſt ex prædicatione Paulina, ſed remotè: proximus enim effectus eſt aggregatio Eccleſiæ ex Iudæis & Gentibus, virtute annunciati huius myſterij facta. Hãc deinde Eccleſiam ita aggregatam ex vtroque populo intuentur Angeli, & per eam nota fit ipſis multiformis illa ſapientia Dei. Non eſt igitur hîc exiſtimandum miniſtros Euangelij in Eccleſia Angelos inſtituere concionibus ſuis, aut verbo prædicato, verum Eccleſiam ipſam, eiúſque fœlicem hunc ſtatum, qui effectus quidam eſt prædicationis verbi, & in quo ſplẽdet imago quædam diuinæ ſapientiæ, ipſos etiam

Quis ſit ille effectus.

Quid Angeli diſcant in contemplatione miniſterij eccleſiaſtici.

Angelos docere.

Porrò *multiformis* dicitur *ſapientia* ea de cauſa, quam explicabo. Sapiens is eſt qui propoſita re aliqua, varia media, quę propoſitam rem efficere poſſunt, proſequitur: ita Deus cum ab æterno vnum conſilium habuerit, de ſeruandis hominibus, tanquã propoſitum, hoc variis modis & multifariã variis ætatibus ac ſęculis extinctus eſt: primùm Eccleſiam ex Iudęis ſolis habuit, in eáque adminiſtranda certam quandam & peculiarem rationem conſtituit: deinde ex Iudæis & Gentibus Eccleſiam congregat, eíque præſcribit ſuam quandam & diuerſam œconomiam. Ob has igitur & alias mutationes, nõ quidem conſilii ipſius, ſed formarum & mediorum, quibus conſilium illud immutabile exequitur, dicitur multiformis ſapientia. Videtur etiam ſapientiæ nomine non malè intelligi myſterium ipſum, quod Paulus, 1. Cor. 3. 7. vocat ſapientiam Dei in myſterio. Multiformis autem dicitur, quia Deus multis vicibus, multiſq; modis aliis atque aliis ętatibus ſapientiam illam propoſuit, quemadmodum Author ad Hebr. apertè docet, 1. 1. Deus multis vicibus multíſque modis olim loquutus Patribus per Prophetas, vltimis diebus hiſce loquutus eſt nobis per Filium. Obſerua:

Sapiẽtia Dei autẽ dicitur multiformis.

Propter varios modos quibus decretum illud æternũ de ſeruãdis Iudæis & Gẽtibus elęctis vtitur.

Doctrina. De efficacia ministerij, ad consolationem ministrorum.

Fructus ministerij plurimum commendat donum ipsum. Sic Rom. 11. 13. dicit se illustrare ministerium suum, si quo modo ad ęmulationē prouocet consanguineos suos, & seruet aliquos ex ipsis. Attendant hoc Ministri Euangelij, ne frustrà cucurrisse deprehendantur. Et certum est si donum & vocatio sit à Deo, eundem Deum efficacem fore in ministro suo ad ædificationem saltem aliquorum.

Absoluta iij. argumentorū de ministerij dono tractatione, notitiæ tanti mysterij Angelis tandē patefacti fūdamentum substernit, nēpe æternum Deī decretum.

Secundum propositum. Subiicit fundamentum notitiæ huius tanti mysterij nunc demum patefacti etiam Angelis ipsis. Est autem propositum Dei æternum, quo decreuit nunc demum notum facere hoc mysterium vel ipsis Angelis. Huius propositi gloriam Deo cum Christo communem facit, dum dicit constitutum esse hoc propositum in Christo Iesu Domino nostro: *In quo habemus.* Ostendit in Christo cōstitutum propositū istud, ab executione ipsius propositi & decreti de reuelando nunc, hoc est, postremis his temporibus, mysterio vocationis gentium: hæc enim est decreti summa. In Christo suo tempore reuelauit Deus hoc mysterium, & executus est quod decreuit, vocauit Gentes, Iudæos & Gentes sibi reconciliauit. Ergo ab æterno constituit hoc decretum in Christo. In ex-

In Christo patefactum.

plicanda decreti executione & reconciliatione ista, tria verba habet, quę etiam notanda sunt. Primum est, libertas siue aditus: nam hæc duo pro eodem sumo hoc loco: secundum est, fiducia: tertium, fides. Per libertatem & aditum intelligo, liberum aditum & accessum ad Deum, qui proficiscitur ex fiducia, quę quidem non est aliud, quàm pacata conscientia, quę rursus existit ex fide, qua credimus sanguine Christi peccata nostra, quę diuiserunt inter Deum & nos, abolita esse. Nam πεποίθησις, etsi primùm & propriè significet persuasionem de charitate Dei in Christo, Rom. 8. 38. ac proinde sit ipsa fidei essentia, tamē hoc loco videtur significare securitatem spiritualem, pacem conscientię & confidentiam, quę est effectum illius persuasionis habens oppositum sibi metum ac pauorem conscientiæ, Esa. 12. 2. 1. Ioan. 4. 8. Nam, 1. Ioan. 3. 19. verbum πείθειν, significat securū vel quietum reddere. Et coram ipso, inquit, secura reddemus corda nostra. Sic enim interpretandum esse verbum, πείσομεν, seq. vers. indicat: Nam si nos condemnet cor nostrū. &c. Condemnatio enim cordis, & quę inde est inquietatio, opposita est securitati, quam etiam vers. 21. παῤῥησίαν appellat Ioannes. Ex fide igitur sequitur fiducia, siue

In cuius executione occurrunt.

Electorum liber accessus ad Deum.

Fiducia.

Fides, mater istius fiduciæ.

Vt ex aliis scripturæ locis constat.

Ex qua fiducia, liber ille

accessus ad Deum.

pacata & tranquilla conscientia, quiescens in Dei misericordia. Ex fiducia rursus existit audacia illa comparendi in conspectu Dei.

Doctrinæ.

1. De arcanorum Dei tacita & humili cōsideratione.

Hîc obserua, 1. Deus præstituit tempus quo reuelaret etiam ipsis Angelis mysterium hoc vocationis gentium. Ante hoc tempus impossibile fuit vel Angelis qui dicuntur tamen circunstare thronum ipsius Dei, cognoscere hoc tantum mysterium in Deo absconditum. Cum autem venisset illud tempus prędstitutum notum factum est iis. Hoc ita posito, obserua: mysteria scripturis sacris contenta obscura sunt quidem non tam sua causa, quam nostra, qui quòd non satis efficax in nobis sit Dei Spiritus ea suapte natura alioqui clara, peruidere non possumus. Deus autem in æterno suo consilio pręscripsit tempora quibus hęc nobis manifestãda sunt. Ante illa tempora à Deo pręfinita impossibile est cuiquam ea intelligere: impletis vero illis tẽporibus Deus ministrato sui Spiritus oculo, ea nobis iam quasi videntibus præbet conspicienda: Sic tempora illuminationis nostræ, & sapientiæ dispẽsauit solus sapiens Deus. Caueant itaque homines, cum inciderint in huiusmodi mysteria, vel ob desperationem scripturas abiicere vel obscuritatem & ambi-

quitatem illis obiicere. 2. Duo hic sunt quę coniungit, tanquam causam, & necessariũ effectum suum, fidem & fiduciam, quę qui separant, solem & lumen suum separant, quod tamen conantur facere Papistæ dum fidem & dubitantem ac vacillantem conscientiam coniungunt. 3. Connectit inter se fiduciam siue pacatam conscientiam & aditum ad Deum. Vnde vides discrimen veræ pacis conscientiæ, & securitatis illius carnalis, qua fit vt ad tempus non sentiant improbi conscientiæ stimulum. Vera hæc pax tantò pacatior est, quantò propius accedit ad Deum: falsa illa pax tantò pacatior est, quantò longius recedit à Deo.

2. De coniunctione fidei & fiduciæ.

3 Fiduciæ itē & liberi accessus ad Deum.

13 *Quapropter peto ne segnescatis ob afflictiones meas pro vobis, quæ est gloria vestra.*

Quapropter peto. Hactenus digressio fuit, vt diximus à vers. 2. Nunc rediens ad institutum ex argumento illo à causa captiuitatis suæ, nempe, sumpto ab ipsis Ephesiis gentibus, concludit hortationem. Conclusio quia non proximè sequitur argumentũ, sed, aliis medio loco iniectis, in locum ab argumento ipso satis longo interuallo dissitum reiicitur, ideo illustratur argumēto suo denuò repetito. Afflictiones meæ sunt pro vobis ad vestram gloriam. Ergo

Hortationis conclusio.

Repetitione argumenti sui illustrata.

peto ne ſegneſcatis ob afflictiones meas.
Doctrina. Hic obſerua. Primùm propoſuit argumentum hortationis, quod ſcilicet captiuus eſſet pro Epheſiis gentibus. Deinde digreſſus eſt in aſſertionem vocationis & Apoſtolatus ſui in gratiam Epheſiorũ & Gentium. Poſtremò concludit ex argumento hortationem. Hoc ſancto artificio videtur ideo vſus eſſe, vt ſuſpenſa diu cõcluſio per mediam illam digreſſionem magis afficiat animos Epheſiorum. Magis autem afficit cum ex digreſsione intelligũt afflictiones illas quas pro ipſis paſſus eſt, vocationi Apoſtoli conſentientes eſſe. Pulchrum enim eſt pro iis affligi, ad quos pertinet vocatio noſtra. Vnde diſcimus noſtras hortationes magis mouere tum cum vident homines facta noſtra omnia ac perpeſſiones noſtras quibus conamur mouere animos, reſpondere vocationi noſtrę. Nam Deus ipſe facta hominum ita ferè approbat, ſi vocationi reſpondeant: facta magiſtratus, ſi vocationi magiſtratus, facta priuati, ſi vocationi priuati reſpondeant.

De affectibus ciendis in animis piorum auditorum.

Quomodo id verè & efficaciter fieri poſſit.

14 *Huius rei gratia, flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti,*
15 *(Ex quo tota familia in cælis, & in terra nominatur,)*

16 *Vt det vobis pro diuite sua gloria, vt fortiter corroboremini per Spiritum suum in interiori homine.*

17 *Vt inhabitet Christus per fidem in cordibus vestris,*

18 *Vt in charitate radicati & fundati valeatis assequi cum omnibus sanctis, quæ sit illa latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas,*

19 *Et cognoscere charitatem illam Christi omni cognitione superiorem, vt impleamini ad omnem vsque plenitudinem illam Dei.*

Huius rei gratia. Secunda pars cap. ad beneuolentiam comparata, in qua relicta exhortatione proxima quodammodo se conuertit ad Deum, precatúrque, vt quod ipse hortatur, Deus id efficaciter in cordibus eorum velit operari. Vnde discimus, omnem doctrinam, hortationem, consolationem, &c. cum precibus esse coniungendas, ne quando hæc à nobis frustra fieri queramur. Deus enim est, ait Apostolus, qui dat incrementum. Optationis igitur, siue precationis huius partes sunt hę. Primùm summatim precatur Deum, ne Ephesij despōdeant animum ob afflictiones suas duobus vers. Deinde distinctius explicans, quod precatus est in genere, eius capita quatuor

II. Capitis altera pars, precatoria.

Quid inde colligendum

Precationis Apostolicæ partes. Prima.

Altera, quæ 4. ca. cōtinet.

1. facit:quorum primum,ad quod referuntur cætera,est,vt corroborentur vers.16. Secú-
2. dum est,vt inhabitet Christus in cordibus eorum,quæ est corroborationis illius cau-
3. sa ver.17. Tertium est,quo petit vt possint assequi,quæ sit illa latitudo,lógitudo,profunditas & sublimitas charitatis Dei in qua radicati,& qua confirmati sunt,hoc est,vt possint cognoscere magnitudinem charitatis Dei in Christo, vnde profecta est illa eorum corroboratio. Ergo optat iis effectum corroborationis,népe,cognitionem illius charitatis,vnde profectum est ipsum corroborationis donum, vers. 18.& prima
4. parte 19. Postremum est, quo petit perfectionem illius ipsorum corroborationis altera parte vers.19. Postremò concludens preces suas,Deo gloriam optat duobus vltimis vers.

Conclusio.

Explicatio primæ partis.

Vt igitur redeamus ad primam partem, in qua summatim precatur ne segnescant, verba sunt: *Huius rei gratia,&c.* Sententia est,huius rei gratia,nempe,ne segnescatis, sed corroboremini,vt posteà habemus,precor Deum. Sed magnum pondus inest in verbis:ea igitur expêdamus.Huius,inquit, rei gratia, nempe,ne deficiatis,vt in superiori vers.audiuimus, *flecto genua mea*,hoc

5. Genuum flexio,vbi de

est,precor:ex adiuncta enim ceremonia,si-

gnificat subiectas preces. Gestus corporis in precibus, apparet in tribus præsertim corporis partibus, in oculis, in manibus, in genibus. In oculis, cum vel attolluntur, vt solet fieri in petitionibus & gratiarum actionibus, Ioan. 11. 41. & 17. 1. vel deiiciuntur in terram, vt contingit in confessionibus peccatorum, Luc. 18. 13. In manibus, vt cum attolluntur manus ad cælos, quo gestu significatur eleuatio animi ad cælos per fidē. In genibus, vt cum flectuntur genua ad indicandam animi submissionem & deiectionem. Hîc igitur significat se precari, sed cū magna animi submissione, quod vel ex gestu ipso apparet. Is verò ad quem preces dirigūtur, describitur duobus titulis. Vnus est, Pater Domini nostri Iesu Christi. Alter est, ex quo tota familia in cælis & in terra nominatur. Quod ad priorē attinet: vocatur Pater Christi, non modò gratia, quatenus est homo Christus, verum multò magis natura, quatenus est Filius Dei vnius eiusdémque naturæ cum Patre Spiritu S. Quod verò ad posteriorē titulum attinet, familiam istam intelligo Ecclesiam, quę vocatur domus Dei. 1. Tim. 3. 15. Et nos dicti sumus in ea domestici, cap. superiore, 19. Hanc recollegit sibi in Christo capite 1. 10. Explicat deinde hanc familiam per partes

multiplici corporis gestu. Quis precetur, & quo,

2. Quem precetur.

Is est Pater Christi.

Pater etiam eximiæ familiæ, quæ est Ecclesia.

suas, quarum vna in cælis est, altera in terris. Hæ sunt partes Ecclesiæ catholicæ, altera triumphans in cælis, animę beatorum: altera militans in terris, Sancti qui adhuc in corporibus degimus. Nolo hîc de Angelis subtilius philosophari, an & hi intelligendi sint, in Ecclesiæ illa parte, quæ in cælis agit: Hoc enim loco familiam intelligo cuius Pater est Deus per adoptionem in Christo. Adoptionem verò Angelis non tribuo. Addit postremò hanc familiam nominari ex Patre Christi, quibus verbis intelligo Patrem Christi esse Patrem huius familiæ. In terrenis enim hisce familiis hi ex quibus nominantur ipsæ familiæ, Patres sunt. Similem loquutionem habes Dan. 9. 18. quo loco orat pro populo & ciuitate, quam dicit ex Deo nominatam.

triumphans, Militans,

Quæ ab eo Patre denominatur.

Verùm, vt adhuc in titulis, & nominibus istis insistamus: In Deo appellando duo requiruntur. Alterum est reuerentia, alterū confidentia: vtrumque apparet fuisse in Apostolo nostro ex his ipsis titulis: nā quod ad reuerentiam attinet, magis reuerenter Deum compellare non potest, quàm cum nomen Patris Domini nostri, & nomen Patris Ecclesię ei tribuit. Quod vt sciamus, in sacra Scriptura multa nomina sibi sumpsit Deus ex beneficiis suis alio atque alio tem

Doctrina. Deus inuocandus reuerenter.

Nēpe vt Pater Christi & Ecclesiæ, quod nomen est longè omnium augustissimum.

pore in humanum genus collatis. Vocat se creatorem cæli & terræ, vocat se Deum Abrahami, Isaaci, & Iacobi, vocat se liberatorem populi Israelitici ex Ægypto, vocat se liberatorem populi Iudaici ex captiuitate Babylonica. Postremo vocat se in Euangelio Patrem Domini nostri Iesu Christi, & Patrem nostrum, hoc est, Ecclesiæ suæ. Quod si inter se compares hæc Dei nomina, longè reuerendissimum inuenies hoc Nomen ex maximo illo & stupendo redemptionis humanæ beneficio desumptum. Rursus si confidentiam spectes, & fiduciã qua Deus sit exauditurus ipsum, nulla re alia magis potuit eam arguere quàm compellando Patrem Mediatoris sui ac Patrẽ suum ac totius Ecclesiæ. Habes igitur hîc exemplum precum reuerenter & confidenter conceptarum: reuerentia tota in animo duntaxat non debet esse inclusa, verum extra etiam apparere in gestu corporis & in voce humillima. Sic fiduciam debent præ se ferre etiam verba ipsa, quæ ad Deum concipimus. Deinde obserua: Rarò inuenies hæc duo reuerentiam & fiduciam con iuncta, quãdo homini cum homine res est. Nam inter homines ferè quò maior est externa ista reuerentia, eò minor est fiducia: & contra, quò maior est fiducia, eò minor

Inuocandus est etiam confidenter.

Quod Paul. nos docet hoc loco.

Id autem, respectu hominum, raro coniungitur.

reuerentia: nam, vt dici solet, nimia familiaritas parit contemptum. At non ita est, quãdo homini res est cum Deo. Hic enim quo maior est reuerentia, eo maior est fiducia: & quo maior fiducia, eo maior reuerentia. Neque metuenda nobis est præsumptio illa Papistarum. Certum enim est fiduciam in Deum necessariò coniunctam esse cum humilitate & reuerentia, neque eam vnquam peccare in excessu, quẽadmodum Ethnici loquuntur de vitiis.

Dei & piorũ respectu, semper.

Quicquid Pontificij garriant.

Vt det vobis. Hæc hactenus de prima parte precationis: nunc de secunda, in qua iam distinctè quædã exoptat Ephesiis. Primùm itaque petit vt confirmentur his verbis, quorum hæc est sententia: q.d. peto à Deo vt corroboremini in interiori homine, sed verba ponderemus, non ait nudè vt corroboremini, sed, *vt det*, inquit, *vobis vt corroboremini*: agnoscens nimirum hoc esse gratuitum Dei donum, quod corroborentur. Nam certum est, quemadmodũ gratuitum sine vllo merito nostro donum Dei est initium cõuersionis & regenerationis nostræ, ita & confirmatio nostra merè gratuitum est Dei donũ, sine vllo merito nostro. Ecquod quæso meritum potius in nobis est qui stamus nunc, quam fuit in Adamo qui defecit? Quod meritum fuit potius in Samuele

Secundæ partis explicatio in qua ostendit quid sit, & pro quib. petendum: nempe Dei electis donũ perseuerãtiæ

Sine vllo electorũ merito

nuele & Iosaphato qui perseuerarūt, quã uit in Dauide & Sampsone qui defecerūt? Nullum profectò. Ex quo deprehenditur hæresis aduersariorum qui perseuerantiã merito nostro tribuunt, dicúntque Deum in nobis causam inuenire qua mouetur vt nos conuersos seruet ne deficiamus aut labamur. Sed vnde depromptum est hoc donum? Nimirum ex thesauro illo & diuitiis gloriæ Dei. Superiori cap. ver. 7. vocauit opes gratiæ, nunc verò gloriæ: hæc optimè conueniunt: nam Deus potissimùm in gratia sua glorificatur. Etsi enim in omnibus suis proprietatibus glorificetur Deus, in iustitia, in sapientia, in potentia, tamen id fit potissimùm in misericordia: vnde κατ' ἐξοχὴν hîc & alibi gloria absolutè pro gratia capitur.

Vt falsò docent Pontificij.

Qui gratiæ & gloriæ Dei sunt aperti hostes.

Sed per quod instrumentum operatur Deus in nobis hoc donum? *Vt corroboremini*, inquit, *per Spiritum suum*. Non igitur per vllã naturæ nostræ vim aut libertatem arbitrij nostri, nisi loquaris de natura & voluntate nostra per Spiritum S. iam regenita. Nam quemadmodum principium conuersionis & regenerationis nostræ Deus operatur in nobis per Spiritum suum, sine vlla facultate naturæ nostræ: ita confirmationem nostri efficit sine vlla facultate na-

Et loco Spiritus Dei, spiritum hominis inducunt.

Nec initium & confirmationẽ nostræ regenerationis expendũt,

tura nobis insita. Ideóque Deus sinit homines sæpenumerò subtracto Spiritu suo deficere, vt sciant ipsi se non stare vi sua, sed Dei. Quod cum aliquando experiretur Dauid, clamauit, Spiritum S. tuum ne recipias à me, Psal.51.13.

Sed falsissimũ dogma de arbitrij humani libertate fingunt.

Hîc damnatur hæresis illa de libertate arbitrij nostri, quã dicunt aduersarij libertate arbitrij nostri retineri vel non retineri Dei gratiam, ac proinde in nobis esse perseuerare vel nõ perseuerare. Sed in quo subiecto operatur Deus per Spiritum suũ donum istud confirmationis nostræ? nempe, in interiori homine. Duabus partibus constat homo regeneratus, interiore & exteriore homine. Exterior satis supérque firmus est, ãc potens vi sua: ideò interior est qui eget confirmatione. Sed videamus ecquis sit hic interior homo? Interior est qui aliàs dicitur nouus homo & Spiritus: opponitur autem exteriori, veteri homini, & carni. Eum hominum definit Paul. 4. huius Epist. 24. vers. Qui secundum Deum conditus est ad iustitiam & sanctimoniam verã, & Col.3.10. Qui renouatur in agnitionem congruentem imagini eius qui ipsum condidit. Obserua: cùm petendum est nobis aliquid à Deo, petendum est illud primùm, vt donum gratuitum: deinde vt detur per

Interioris hominis definitionem ignorantes.

Doctrina, de summa & regula precum Christianarũ.

piritum S. Hinc duo alia sequuntur: primum, necesse est vt inter petendum vacui mus ab opinione meriti nostri: nam bi meritum, ibi non est donum, sed debium. Secundum, vt vacui simus ab omni oinione virium & facultatis quę est in noisipsis: Spiritus enim Dei non concurrit um vi vlla naturali, quæ in nobis bona sit, ed inuenit nos prorsus omni bonitate deitutos.

Ut inhabitet Christus per fidem in cordius vestris Hoc secundum est quod petit, empe, causa confirmationis, de qua proimè. Est autem inhabitatio Christi in nois. Sensus manifestus est. Videamus vera: Inhabitationis nomine non intelligo ommorationem eam quæ est ad tempus, ed perpetuam mansionem: nisi enim maeat in nobis Christus perpetuò, non pereuerabimus. Quomodo autem inhabitat? *Per fidem*, inquit. Duo sunt modi in vniuer im quibus Christus manet in nobis,neme per Spiritum, & per fidem. De priori sic abet Ioan. 1. Epist. 4. 13. Per hoc cognoscius Christum habitare in nobis, & nos in lo, quod de Spiritu suo dederit nobis. Ex oc existit posterior: Nam Spiritus Christi citat fidem in nobis, qua Christus apprehenditur & nobiscum vnitur. De posterio-

Ostendit deinde, quæ sit perseuerātiæ illius electorum causa.

Inhabitatio Christi in nobis.

Per fidem.

Quę à Spiritu Christi excitatur.

re hoc modo diciturhoc in loco,ex quo intelligi poteſt prior ille modus, vt ex effecto cauſa ſua. Sed vbi inhabitat Chriſtus? *In cordibus noſtris*, inquit, non in linguis, niſi linguæ confeſſio proficiſcatur ex fide,quæ in corde eſt,ſicut dicitur, Credidi, & ideo loquutus ſum. Sed cur in cordibus? Quia vbi fides eſt,ibi eſt Chriſtus:fides autem eſt in corde,corde enim creditur ad iuſtitiam, & fidei eſſentia propria eſt efficax illa cordis apprehenſio. Ergo Chriſtus habitat in corde.

In cordibus noſtris.

Doctrinæ.

1. De origine & cauſa donorum quæ electis conferuntur

Obſerua,1. Participationis beneficij confirmationis, omniúmque cæterorum quæ in Chriſto habemus cauſa eſt,participatio ipſiuſmet Chriſti:vt enim palmes non haurit ſuccum ex vite niſi prius cum vite coaleſcat,& membra non habent ſenſum & motum à capite,niſi cum capite cohæreant,ac colligata ſint: ita niſi ipſiuſmet Chriſti primùm omnium participes fiamus, donorum eius participes eſſe non poſſumus. 2. Si inhabitatio Chriſti ſit præclarum effectum, & præclara res fides, Nam ſi effectũ excellat, excellit & cauſa. Nõ igitur eſt fides tam leue quippiam, quàm ſomniant Papiſtę, neque tantum imaginatione conſtat. Eleuãt enim aduerſarij fidei vim, vt iuſtitiam quæ eſt ex ſola fide faciliùs oppugnent. 3. Si in-

2. De fidei Chriſtianæ præſtantia.

Aduerſ. Pontific. deliriũ.

3. De inhabi-

habitatio Christi in nobis fit per Spiritum & fidem duntaxat, síque ea coniunctione non possit esse arctior, cur quærunt aduersarii monstrum illud corporalis coniunctionis Christi & nostri?

tatione Christi in nobis per modum spiritualem.

Vt in charitate radicati. Tertium est quod precatur, nempe, effectum confirmationis, agnitio & cognitio gratiæ Dei & charitatis, vnde depromptum est illud ipsum donum. Primùm proponitur hoc versu, deinde explicatur principio versus seq. Sententia propositionis est, precor Deum vt iam confirmati dono illo Dei, ex thesauro gratiæ & charitatis deprompto, possitis assequi cum omnib. sanctis, quæ sit in omnem partē perfecta infinitas illa charitatis Dei. Sed verba expendamus: *Radicati*, inquit, *& fundati.* His verbis vtitur Apostolus, siquādo velit significare firmā perseuerantiam, vt Col. 1. 23. Siquidē permanetis in fide fundati & firmi: & 2. eiusdem Epist. 6. 7. Sicut igitur accepistis Christum Iesum Dominū, ita in eo incedite, radicati & superstructi in eo: tum quid sibi velit his verbis subiungit: Confirmati, inquit, fide. Scimus autem hoc omnes natura, non firmiter stare arborem, nisi firma radice sustineatur: non firmiter stare domū, nisi firmo fundamento nitatur: ita est hîc, non firmiter stamus

Tertiò, quis sit illius inhabitationis effectus.

Nēpe in charitate & radices agere, & tāquam fundamēto niti: duplex, sed aptissima, metaphora.

nos, aut perſeueramus, niſi fulciamur firmo fundamento. Fundamentum iacit Apoſtolus charitatem Hæc eſt illa charitas, quam ſuperius vocauit diuitias gloriæ Dei: Hæc eſt, quam poſtea vocat charitatem Chriſti: hæc deniq; eſt illa charitas, qua dilexit nos Deus ab omni æternitate, qua elegit, creauit, redemit, regenerauit, confirmat denique: hoc, inquam, eſt illud fundamentum in quo ſtamus. Paulus cum ſentiret ſe firmiter ſtare ſuper hoc dilectionis Dei fundamento, ſic gloriatus eſt contra aduerſa omnia: Quis ſeparabit nos à charitate Chriſti? Num oppreſſio, num anguſtia, num perſecutio, num fames, num nuditas, num periculum, num gladius? Nos ſi in charitate iſta ſtamus, firmiter ſtamus: ſin minus, tum facilè quouis leui vẽto cõcutiemur. Quæri poteſt, cum fundamentum confirmationis noſtræ ſit charitas Dei, cur in locis illis ad Coloſ. ſuperius citatis alia iaciat fundamẽta, vt fidem, vt Chriſtum? Reſpondeo nihil incommodi eſſe, quod plures ſint cauſæ & quaſi fundamenta confirmationis noſtræ, modò in primis numeretur illa Dei charitas, qua ab ęternitate dilexit nos in Chriſto.

Varia huius charitatis epitheta.

Quam Apoſtolus in ſe perſenſit.

A qua etiam fides non ſeparatur, vtpote quæ ſit etiam confirmationis fundamentum.

Cum omnibus ſanctis. Quod particulari Eccleſiæ comprecatur, communicat cum omnibus ſanctis, 1. Cor. 1. 2. gratiam illam &

Charitatis illius riuulus.

pacem, quam exoptat Ecclesiæ, quæ erat Corinthi, extendit latius ad quoscunque inuocantes nomen Christi, hoc est, Ecclesiam Catholicam. Nam verum est illud, nō posse cuiquam curæ esse particularem aliquam ecclesiam, nisi eodē tempore subeat recordatio vniuersalis: contráque, cui non est curæ particularis, eum non posse vniuersalis Ecclesiæ bonum procurare. Vsque adeò coniuncta sunt ista! *Quæ sit illa latitudo*: hoc est, quæ sit illa perfecta in omnem partem & secundum omnes quasi dimēsiones, magnitudo & infinitas charitatis Dei. Mutuatur enim locutionem à geometris. Obserua, 1. Precatur vt iam confirmati charitate Dei, possint cognoscere illam charitatem ipsiúsque immensam magnitudinem. Impossibile igitur est cognoscere cum sensu aliquo charitatem Dei, nisi prius degustemus eius suauitatem, in eáq; fundati fuerimus. Frigida est illa cognitio charitatis Dei, quæ etiam ex verbo est, nisi per Spiritum conuersi, regenerati, confirmati denique fuerimus, 2. Precabatur prius vt confirmarentur ex Dei charitate & gratia, nunc precatur vt cognoscant eandem illam gratiam & charitatem. Quemadmodum igitur ipsa conuersio, regeneratio & confirmatio dona Dei sunt gratuita, ita spe

Et perfectio, respectu Dei.

Doctrinæ.
1. De efficacia cognitionis charitatis diuinæ.

2. De cognitione fontis diuinæ charitatis & gratię.

ciale quoddam Dei donum est, posse oculos reflectere ad fontē illum gratię & charitatis, vnde hæc profluxerunt. Misericordia Dei patet ad omnes suas creaturas, solem suum sinit oriri super bonos & malos: sed quotusquisque impetrat hanc à Deo gratiam, vt reflectat oculos ad fontem ipsum, eúmque agnoscat? Plurimùm autem refert cognoscere fontem, tum ad Dei gloriam, tum ad consolationem hominum: ad Dei gloriam, quia nisi agnoscatur fons ille charitatis, nemo potest gratias Deo agere pro accepto beneficio: non actis autē gratiis, quomodo glorificabitur Deus? Ad cōsolationem autem cognoscendus est fons, quia nisi sit sensus huius charitatis, cum beneficio accepto, vel ex vniuerso hoc mundo, si fingas eum tibi semel donari à Deo, solida consolatione non frueris: imò cum præclara illa possessione tua non fēties nisi conscientiæ horrores.

Vnde consolatio certa.

Et cognoscere charitatem illam Christi omni cognitione superiorem: Vt impleamini ad omnem *Vsq.* Declaratio propositionis proximæ. Nam assequi quæ sit illa magnitudo charitatis Dei, nihil aliud est, quàm cognoscere charitatem illam Christi omni cognitione superiorē. Charitatē Christi & Dei Patris eandem intelligo. Paul. Rom. 8. eam

Declaratio proximæ propositionis.

Charitas Christi & Dei Patris eadem.

quam verſ.35. vocauit charitatem Chriſti, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti,inquiens,appellat 39. charitatem Dei, Mihi, inquiens, perſuaſum eſt non poſſe vllam rem aliam creatam nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quemadmodum enim Pater & Filius vnum ſunt, ita vna eſt vtriuſque dilectio. *Omni cognitione ſuperiorem : Vt impleamini ad omnem vſque.* Paulus volēs ſignificare infinitatem rei incomprehenſibilis in hunc modum conſueuit loqui.Sic Philip.4.7.pacemDei appellat,quę ſuperat omnem intellectum: ſic hoc loco infinitatem huius charitatis exprimens,ait eam ſuperiorem omni cognitione. Eſt incomprehenſibilis.

Sed quæſtio eſt : Si ſuperior ſit omni cognitione, videtur fruſtrà precari Apoſtolus, vt rem ſuperiorem omni cognitione, cognoſcant tamen Epheſij? Reſpondeo,ſi homo ſpectetur cum humano duntaxat ſpiritu,profectò tum charitas Dei ſuperat eius cognitionē: Animalis enim homo non capit ea, quæ ſunt Spiritus Dei,imò ne poteſt quidem capere:ſin ſpectetur cum Spiritu Chriſti, poteſt quidem cognoſcere eā Dei charitatem.Nam Spiritus Dei ſcrutatur omnia,etiam profunditates ipſius Dei. & Apoſt.Rom.5.5. ſpeciatim de cognitio- 1.Quæſtio. Cur ergo expetitur hæc charitas? Reſponſio.

ne charitatis Dei per Spiritum S. in hunc modum loquitur, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Quo loco est aurea quædam regula iudicãdi de magnitudine huius charitatis. Commendat suam charitatem erga nos Deus, quòd cùm adhuc essemus peccatores (inimicos vocat posteà) Christus pro nobis mortuus sit. Vbi duæ sunt circunstãtiæ, quæ amplificant hanc Dei tantam charitatem: prior, Deus adeo dilexit nos vt vnigenitum Filium suum pro nobis tradiderit morti: à persona Christi sumitur. Posterior à persona nostra, Christus mortuus est non pro iustis, nõ pro amicis: sed mortuus est pro peccatoribus, pro inimicis. Verum ista nihili reputantur à nobis, nisi Spiritus ille S. de quo locuti sumus, sensum huius charitatis efficaciter operetur in cordibus nostris.

Regula, qua iudicamus de magnitudine huius charitatis, Christum & nos respiciens.

Ex his oritur altera quæstio: An plena cognitio charitatis Dei cõtingat nobis in hac vita? Respõdeo nos in hac vita ex parte tantum cognoscere, ex parte prophetare, & cernere quasi per speculum & per ænigma: veruntamen nos tantum cognoscere, quantum Deus censet necessarium esse ad nostram consolationem & salutẽ. Obserua hic discrimen inter scientias alias, &

Altera Quæstio, Quanta sit cognitio charitatis Dei in hac vita?

Discrimen

diuinam illam, quam Theologiam vocant. Cæteræ non sunt superiores cognitione nostra, ideóque ad eas addiscendas sufficit humanus duntaxat spiritus, nisi velit Deus quibusdam, iísque paucis admodum, speciale quoddam donum, quod vocant, sui Spiritus impertiri: diuina verò illa prorsus superat captum nostrum, quare vt eam rectè percipiamus, opus est assurgamus supra humanam sortem & vniuersum hunc mūdum. Dicam hoc familiarius: vt rectè intelligamus articulos fidei, quos vocant, opus est nobis plusquam humano spiritu, quo ipsos etiam cælos transcendamus. Vt intelligamus charitatem hanc omni cognitione humana superiorem, necesse est rapiamur supra nos ipsos, & quicquid est inferius in hoc mundo. Nam quid causæ est, quæso, cur non possunt aduersarij ad veram huius charitatis cognitionem peruenire, neque persuadere sibi certitudinem dilectionis Dei? Non alia profectò causa est quàm quod metiantur charitatem Dei humano duntaxat Spiritu ac modulo: quod dum faciunt, non est mirum ipsos, non posse rem tantam capere.

inter humanas scientias & Theologiā.

Mysteria salutis quomodo percipiantur.

Cur superstitiosi nequeāt hæc mysteria percipere.

Vt impleamini. Hoc quartum est quod precatur: perfectio confirmationis ac corroborationis illius, de qua præcipuè agitur

iiij. Precatio.

Quid ſit plenitudo Dei, hoc loco.

hoc loco. Plenitudinem Dei intelligit non eam quæ eſt eſſentiæ ipſius Dei, ſed perfectionem interioris hominis, quæ eſt ex plenitudine illa deitatis, quæ corporaliter inhabitat in Chriſto, in quo completi ſumus, Col. 2. 9. Sciendum autem eſt hanc perfectionẽ non obtineri tantiſper dum hîc viuimus, ſed tum demum futuram, cum Deus erit omnia in omnibus, & repleti erimus gloria in Chriſto capite noſtro ad gloriam ipſius Dei. Obſerua. 1. Precatus eſt à Deo cõfirmationem, nunc precatur à Deo eiuſdem perfectionem. Principium noſtræ regenerationis, progreſſus & confirmatio, conſummatio denique & perfectio gratuita Dei dona ſunt, ideoque hæc è manibus Dei citra omnem prorſus opinionem meriti noſtri emendicanda ſunt. 2. Precatur complementum & perfectionẽ confirmationis, hoc eſt, continui progreſſus noſtri ad perfectionem ipſam. Illud itaque verũ eſt, nos ita cõfirmari & perſeuerare, vt non in eodem ſtatu permaneamus, ſed perpetuum in dies incrementum capiamus, tantiſper dum perficiamur. Nam alterum horum neceſſariũ eſt, vt vel creſcat in nobis Spiritus Dei donum, vel decreſcat: nullus eſt ſtatus. Quocirca nobis danda eſt opera vt ſentiamus in nobis Chriſtum adoleſce-

Doctrinæ.
1. Quicquid in noſtra ſalute occurrit eſt merum Dei donum.

2. Perſeuerantia piorũ cum incremento donorũ Spiritus Dei coniuncta eſſe debet.

te,& augeri in dies eius dona spiritualia.

20 *Ei vero qui infinita cum redundantia po-*
test omnia facere supra ea quæ petimus,
aut mente concipimus, pro vi illa agente
in nobis,

21 *Sit gloria in Ecclesia per Christum Iesum,*
in omnes ætates sæculi sæculorum, Amen.

Ei vero qui infinita. Conclusio precationis, in qua optat Deo gloria suam, eúmque in potentia sua magnificè extollit. Potentiam igitur tãquam causam gloriæ prædicat vers.20. gloriam tribuit ver.21. Sensus eorũ, quæ de potentia loquitur, clarus est: qui potest pro infinita sua potentia, eáque efficaci, in nobis efficere omnia infinitis modis supra ea quæ petimus aut mente concipimus, sit gloria, &c. Quod ad verba attinet, *Ei*, inquit, *qui potest*. Fundamentum huius sententiæ habes Psal.145.3. Magnitudini Dei non est perscrutatio, hoc est, potentia Dei est inscrutabilis. Hinc sequitur Deum posse facere omnia infinitis modis supra ea quæ petimus, aut mente concipimus. Huius rei Dauid experiẽtiam profert in sua persona, Psal.21.2. Iehoua de robore tuo lætatur rex, & de salute tua quam exultat valdè! Desiderium animi eius das ei, & pronunciatum labiorum eius non auertis,

Precationis conclusio.

In qua de potentia Dei agit.

Quæ est imẽsa, vt Psaltes testatur.

Et Dauid expertus est.

imo præuenis eum benedictionibus boni, id est, nihil tale cogitanti, nedum optanti exhibes benedictiones, vt ostēditur 1. Sam. 16. vbi narratur Dauidem à pascendis ouibus reuocatum, & vnctum Dei iussu à Samuele in regem Israelis, de quo ne ille quidem vnquam suspicari potuit. Neq; quisquam est nostrum omnium, qui, si reputet secum omnia Dei erga se beneficia, non cogatur cum Dauide confiteri Deum præuenisse se benedictionibus boni.

Atque exemplo suo confirmat.

Pro vi illa. Subnectit modum, quo faciat supra ea quæ petimus, aut mente concipimus, nempe, operando in nobis efficaciter & potenter. Hanc efficacitatem exeruit in Christo primùm, cum excitauit eum à mortuis, & collocauit ad dexteram suam in cælis, vt dictum est suprà 1.20. Deinde eam exerit in nobis per Christum, vt ibid. legimus. Paul. Col. 1.29. eam in se est expertus, Ad quod etiam enitor, inquit, decertans secundum efficacitatem, qua operatur in me potenter. Nemo est regeneratorū qui non aliquando sentiat efficacitatem hanc in se se agentem. Descendat igitur in se vnusquisque, & det operam vt illam sentiat: nihil enim est eo sensu homini suauius, qui effecit vt Paulus lubentissimè gloriaretur de infirmitatibus suis, vt inhabitaret in i-

Modus autem istius potētiæ

In Christi & piorum exaltatiōe elucet

Experientia, in singulis Dei electis, teste:

Et ipso Paulo.

pso potētia Christi: hoc est, vt magis magisque sentiret virtutem Christi. Nam potentia Dei per infirmitatem perficitur, 2. Cor.12.9.

Sit gloria in Ecclesia. Nunc Deum, quem potentem descripsit, glorificat: Ei, inquit, sit gloria in Ecclesia per Christum Iesum. Sententia facilis est, videamus verba: Ipsi, inquit, sit gloria: & vbi? In Ecclesia. Ergo & illud verum, Deum potissimùm in Ecclesia exercere potentiam suam: Nam in Ecclesia Deus sese ostendit verbo & opere, vt in ea glorificetur: quod testatur Dauid Psa.76.2. Nobilis est Deus, inquit: vbinam? In Iudęa. Magnum nomen eius: & vbinam? In Israele. At quę causa? Causa est sumpta ab opere illo mirabili in dissoluendo exercitu Sancheribi. Ergo illud manet, Deum, quia ostendit se variis modis in Ecclesia sua: ideo in ea potissimum glorificari. Verum hîc tenendum est Deum non glorificari in Ecclesia, tum tantùm cum priuatim singuli Deum colunt & glorificant, sed tum maximè, quum publicè in concionibus & cœtu omnium agnoscitur, Dauid laudem quam potest maximam Deo promittens, maiorem hac non potest polliceri, dum dicit. In media congregatione laudabo te, Ps.22.23.

Vnde gratiarum actio in Ecclesia,

In qua Deus exerit illam suam potentiam.

teste Dauide

Quō Deus glorificetur in Ecclesia.

Per Christum Iesum, Quemadmodum Deus

Per quem,

exercet omnia potētiæ ſuæ opera per Chriſtum, ita per eundem glorificatur, qui eſt ſplendor gloriæ ipſius, & character perſonæ. Quandiu autem durabit hæc gloria? *In omnes*, inquit, *ætates ſeculi ſæculorum*. Æternitatem magnificentiùs nonpotuit deſcribere. Quare etiam in ęternum duratura eſt Eccleſia, in qua Deus in æternum glorificandus eſt.

Quamdiu.

Doctrinæ.

1. De fiducia precum.

Obſerua, 1. Ait Deum poſſe facere omnia ſupra ea quæ petimus. Sequitur ergo, non eſſe metuendum fidei exceſſum, neq; timendum ne nimium petamus à Deo, modò petitiones noſtræ omnes nitantur promiſſionibus in verbo Dei factis. 2. Dei potentiam in nobis efficacem prædicat. Nota hîc diſcrimen inter Philoſophos, & veritatem ipſam in agnoſcēda Dei potentia. Philoſophi agnouerunt quidem generalem quandam potentiam in creando, & conſeruando mundo, ſed eam potentiam pleriſq; in rebus otioſam fecerunt, dum eas fortunæ, caſui, conſilio, ſapientiæ & potētiæ humanæ tribuerunt. Veritas autem in his omnibus præcipuam cauſam agnoſcit efficacem Dei potentiam, alias verò omnes tantum adminiſtras. 3. In principio huius precationis ſtabiliuit fiduciam ſuam in Dei miſericordia, vt titulus ille patris ſatis indicauit

2. De diuinæ potentiæ efficacia.

3. De fidei Chriſtianæ columnis.

dicauit. In conclusione eandem firmat in Dei potentia, eáque infinita. Hinc discimus fidem nostram tum demum firmam stare, cum nititur, & amore, quo bene vult nobis, & potentia eius, qua potest quod vult perficere. Potentiam autem dico infinitam, vt fides superet omnia naturę aliarúmque rerum impedimenta, cuiusmodi potentia nixa est fides Abrahæ, qui contra spem sub spe credidit. Rom. 4. 18. Tali fiducia si vlla ætate opus fuit hominibus, & maximè nobis est, qui incidimus in postrema hæc & miserrima tempora. ideóque agnoscentes infinitam illam in Deo potentiam, qua potest etiam contra ordinarias rationes Ecclesiam suam seruare, in ea ipsum glorificamus per Iesum Christum Dominum nostrum. Applicatio.



ARGVMENTVM.

Cap. iiij. incipiamus quintam Epist. partem, quæ parænetica est, præcepta vitæ Christianæ cótinens, Hoc igitur cap. primùm in genere hortatus ad omne officium vocatione Christiani hominis dignum, descendit ad duo specialia officia ad vers. 7.

Deinde arrepta occasione ex loco proximè præcedenti, digreditur ad ostendendam donorum Spiritus diuersitatem ad vers. 17.

Postremò reuertitur ad præceptionem specialium officiorum.

CAPVT IIII.

1 *Precor itaque vos, ego captiuus in Domino, vt ambuletis ita vt dignum est vocatione qua vocati estis.*

1 A generali exhortatione ad speciales descendit.

PRecor itaque vos. Generalem huiusmodi exhortationem specialibus prępositam in aliis Epistolis huius Apost. legimus. Nam traditurus specialia solet ea iamprimùm communi quasi genere complecti. Ad Gal.5.13. priusquam aliquid in specie dicat, sic in genere hortatur: Vos ad libertatem vocati estis, fratres: tantum ne libertatem arripite vt datam carni occasionem. Et ad Philip.1.27. commendaturus specialia, in genere primùm hortatur in hæc verba: Tantùm vt dignum est Euangelio vos gerite. Sententia huius exhortationis manifesta est. Conuersatio vestra respondeat vocationi. Expendamus igitur verba: *Precor*, inquit, *ego Paulus captiuus*. Describit se à præsenti cõditione, quæ Romæ fuit, quo tempore hæc scriberet, vt eo quasi argumẽto magis eos moueat, præsertim cùm pro Ephesiis reliquísq; gentibus captiuus sit, vt superiori cap. dictũ est. Existimans igitur iam vincula sua ab illis magni fieri, audet cõmemoratione eorum hortari Ephesios ad vitam Christianis di-

Generalis exhortationis sententia.

Quis hortatur.

Quos.

gnam. Sed quid eſt quod captiuus Paulus precatur? *Vt ambuletis*, inquit, *ita vt dignũ eſt vocatione.* Verbum, ambulandi, vſurpatum eſt ſupra cap. 2. 10. in eod. ſenſu: Nos ſumus, inquit, opus ipſius conditi in Chriſto Ieſu ad bona opera, quæ præparauit Deus, vt in iis ambularemus. Quo verbo ſignificatur bona opera eſſe tanquam vias, quas ingredi oportet, & per quas neceſſariò Deus electos ſuos deducit ad vitã æternã. Sed quomodo ambulent? *Vt dignum eſt*, inquit, *vocatione, qua vocati eſtis*. De vocatione Epheſiorum ſatis multa dicta ſunt cap. 2. huius Epiſtolæ, vbi habemus hæc verba: At nunc in Chriſto Ieſu, vos qui olim eratis procul, propinqui facti eſtis, per ſanguinem, inquam, Chriſti. Propinqui facti erant Deo per recõciliationem. Propinqui facti erant Iſraeli & Eccleſiæ, per vnitionẽ in vnum corpus. Hæc nimirum erat eorum vocatio. Sed quæ vita digna eſt hac tã præclara vocatione? Hoc declarabitur in explicatione ſpecialium præceptorum, quæ ſequuntur: Tantum hoc nunc dicemus. Paul. Tit. 2. 11. 12. trib. ſummis cap. totam Chriſtianam vitam comprehendit. Verba Apoſtoli ſunt: Illuxit gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus, erudiens nos vt abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, tem-

Ad quid.

Qua de cau

Summa huiu exhortation

Partes tres, alibi expreſſæ.

peranter & iustè & piè viuamus in præsenti seculo. Temperanter viuimus erga nosipsos, & sobrietatis officiū quasi nobis ipsi debemus: Iustitiæ officium debemus proximo: pietatis denique ipsi Deo.

Temperātia.

Iustitia.

Pietas.

Doctrinæ.

Atque hæc de generali hortatione, in quam hæc pauca notamus: Paulus fretus etiam vinculis suis audacius & confidentius hortatur Ephesios. Vnde discimus quicquid est Christi, etsi illud ignominiosum sit mundo, reipsa tamen gloriosum esse, & magni faciendum à nobis, & vincula ipsa seruorum Dei in maiori reuerentia habenda, quàm omnes omnium regum purpuras ac diademata. 2. Petit vt ambulēt ita vt dignum est vocatione. Ergo vocatio antecedit ambulationem & opera. Disce igitur vsum operū non esse hūc, vt his tanquam causis & meritis vel prædestinemur, vel vocemur, vel iustificemur vel deniq; glorificemur, sed contra vt iam prædestinati vocati, iustificati, atque etiam certo quodam modo glorificati, in iis ambulemus, vt dignum est illis causis, & gratuitis beneficiis prçcedentibus. De hoc vide Eph. 2.6. & 10. Lege, si lubet, atque iterum lege huius Apostoli scripta omnia, non inuenies profectò, vel vnam aliquam propositionem in hanc sententiam: Bona opera facienda esse

1. De gloria seruorū Dei.

2. De vsu bonorum operum.

Aduersus iustitiarios.

vt eligamur, vocemur, iustificemur, glorificemur, sed cõtra electos nos esse, vocatos, iustificatos, glorificatos, vt benè operemur. Attendant hoc tandem iustitiarij illi & resipiscant.

Cum omni modestia et mansuetudine, cum animi lenitate, tolerantes alij alios per charitatem.

Cum omni modestia ac mansuetudine, cum animi lenitate. Nunc descendit ad specialia officia, quorum hoc primum est quo requirit, vt tolerēt alij alios per charitatem. Verum priusquā aliquid præcipiat, iacit quædamquasi communia fundamenta vtriusq; specialis officij in prima parte huius vers. Fundamenta sunt, tres illæ virtutes, modestia, mansuetudo, & animi lenitas, quibus superstruuntur duo ista officia ad quæ hortatur. Videamus igitur naturam primæ illius virtutis, quam modestiam vocat. Tota vita nostra duos præsertim respicit. Deum & hominem. Erga vtrunque debemus nos sobriè & demissè gerere. Humilitas estquæ facit vt geramus nos sobriè erga Deum: modestia autem est quæ facit vt geramus nos sobriè erga homines. Modestiæ huius quasi radix, ex qua primùm exurgit, estconscientia & agnitio infirmitatis nostræ, in

A generali ad speciales exhortationes de officio piorum descēdit. Communia autem officij Christiani fūdamēta sunt,

1. Modestia.

Modestiæ mater, seu radix

quacunque demum vocatione constituti sumus. Nam ad minimam etiam vocationem sustinendam vix satis firmi sumus. Ex hac radice orta modestia fundit se in duos quasi ramos. Vnus est quo modestè & sobriè de nobis ipsis sentimus primùm (nam nisi primùm omnium modestè de nobis sentiamus, externa illa modestiæ species mera est dissimulatio:) Deinde sobriè de nobis ipsi loquimur: In omnibus denique vitæ actionibus modestos nos & sobrios præbemus. Atque hic est primus ille modestiæ quasi ramus. Alter est quo dona Dei in aliis magnifacimus eósque nobis præstãtiores ducimus. Paul. Phil. 2. 3. Nihil gerite inquit, per contentionem, aut per inanem gloriam, sed ex modestia quisque alium se præstantiorem putet. Quo loco vides hæc duo in modestia, & duos illos quasi modestiæ ramos. Primum ne consectemur ipsi inanem gloriam: secum vt alios nobis præferamus. Sed Deus ipse sapientissimus rerum dispensator magnam modestiæ occasionem nobis ministrauit. Nam neque omnia dona eidem dedit, sed suumcuique: neque illud quod datum est in quoquam ita perfecit, vt nihil possit amplius desiderari: verum ad certam vsque mensuram dedit, vt nimirum homines neque de se ni-

Partes, seu rami.

1.

2.

Occasio.

mis arroganter sentiant, neque alios prę se contemnant, sed modestia quadam, & submissione animi componantur.

Altera virtus, quam fundamenti loco subiicit, est mansuetudo. In affectibus animu humani est ira. hæc si permittatur sibi, efficiet perfectò vt quisvel nullam, vel leuem obcausam irascatur, vel, si sit iusta causa iræ, vt modum omnem excedat, quærátque vindictam & perniciem offendentis: nam illud extra quæstionem pono, si possent truculenti isti homicidę, non tantum corpus, sed animam simul cum corpore internecioni darent: qua in re imprimis diabolum patrem suum referunt, cuius hoc proprium est, quærere perniciē creaturæ, cum Deus non nisi iustitiam & gloriam suam iustè puniendo quærat. Refrænandæ igitur iræ dedit Deus hanc quam vocamus mansuetudinem, non quæ iram planè tollat de medio: sunt enim iustæ aliquādo huius affectionis causæ, vt contumelia in Deum, iniustitia, detrimentum proximi: sed quævel cohibeat iram, vbi aut nulla, aut leuis est causa: vel tēperet, si iusta offeratur. Non caret hæc virtus sua promissione in Scripturis. Matth. 5. 5. pronunciat Christus beatos mites, quoniam ipsi hereditatis iure terram possidebunt. Verendum est ne dum

2. Mansuetudo, iræ opposita.

Quam refrænat.

Quomodo.

Habet ea virtus præclarā promissionē.

nostri homines immites & truces sunt in quærenda hæreditate hac terrena, & hanc & illam cælestem simul amittant.

3. Longanimitas.

Postrema virtus quam vt fundamentum officiis sequentibus subiicit, est ea, quam vocant longanimitatem. In eo autem posita est vt iram contineamus, ne subitò irascamur, & statim vlciscamur iniurias, sed eas diu perferamus. Rom. 9. 22. de Deo dicitur, quod multa lenitate pertulit vasa iræ coagmentata ad interitū. Vbi vides etiam Dei insignem lenitatem esse in perferendis iniuriis, vt si fieri possit, Dei exemplo commoueantur homines. Hæc de virtutib. quę tanquam fundamenta sunt officiorum sequentium.

Cuius exemplum, Deus ipse.

Doctrina, de vsu iij. illarū virtutum.

Obs. Duo quædam sunt in natura nostra: φιλαυτία & ira. Altera nimium propendemus in nosipsos: altera quacunque, sæpe etiam nulla data occasione, ferimur aduersus proximum. Nisi igitur illa per modestiam temperetur, hæc per mansuetudinę & longanimitatē ad mediocritatem quandam reuocetur, nunquam comparati ad officium accedemus.

Præceptionū specialium prima.

Tolerantes. Illis quasi communibus fundamentis iam positis, sequitur prima præceptio specialis: Tolerate alij alios per charitatem. Hoc præceptum totidem verbis

habes propositum Col.3.13. Aliis verò verbis expressum, sed in eundem sensum Gal. 6.2. Alij aliorum onera portate. Sententia facilis est, Tolerate alij aliorum offensas per charitatem. Videamus nunc verba: Tolerantia presupponit infirmitatem & offensam: nemo enim est omnium sanctorum. qui tam citra omnem offensionem viuat, quin aliquando offendat. Tolerātia autem hæc neque posita est in eo, vt ad tempus conniueamus ad iniuriam, deinde verò offerente se occasione eam vlciscamur: neque in eo, vt cùm non possumus vllo tempore iniuriam vlcisci, feramus, quidem, sed inuiti: verum ita debemus iniuriam tolerare vt eam prorsus condonemus. Paul. enim Col.3.13 postquam tolerantiam hanc commendauit his verbis, Tolerantes alij alios: statim addit. Et condonātes vobis mutuò, si quis aduersus aliquem habuerit querelā. Ergo sic toleranda est iniuria vt planè condonetur. Neque id solum, sed tolerantes & condonātes debemus etiam instaurare hominem illum sic offendētem: ita enim præcepit Paul. Gal.6.1. Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo aliqua offensa, vos spirituales instaurate huiusmodi hominē cum Spiritu mansuetudinis, considerās te ipsum, ne & tu tenteris. Quare tolerantes

1. Tolerantia

Quid sit, & in quo consistat.

Quib. verbis commendetur ab ipsomet Paulo.

&condonantes,simul etiam instauraremus hominem offendẽtem, & rectiora doceremus. Verùm aliquis modus esse debet huius, de qua loquimur,tolerantiæ & hactenus tolerãdi sunt infirmi, quatenus eorum bono id fieri potest:Ita enim Paul.Rom.15.2.Vnusquisque nostrum proximo indulgeat in bonum, id est,ad eius ædificationem. Quarè in tolerãdis offensis respicienda est vtilitas & ædificatio proximi,alioqui tolerantia illa magis oberit quam proderit.

Quis tolerantiæ modus esse debeat.

Per charitatem. Præter illa superiora huius officij fundamenta addit etiam aliud fundamentum, & illud quidem præcipuũ, quam charitaté vocat, Gal.5.13. vbi simile quiddam præcipitur, idem fundamentum charitatis subiicitur:Ex charitate, inquit, seruite alij aliis.Neque hoc immeritò:nam 1.Cor.13.4.& 7.vbi ex proprietatibus & effectis suis commẽdatur charitas.hęc inter cætera charitati tribuuntur, quòd patiens sit,quòd omnia sufferat,quòd omnia sustineat.Obs.hîc charitas adiungitur illis aliis virtutibus,quia alię virtutesomnes,earúmque officia oriuntur ex dilectione Dei & proximi.Ideóque Paul.Rom.13.8.9.10.omnes alias virtutés,earúmq; actiones in hoc sermone summatim comprehendit, nempe,Diliges proximum tuum sicut teipsum:

Tolerantiæ fundamentũ charitas.

Ratio.

Doctrina.

De virtutum origine.

ea re significans nobis virtutes cæteras,ea rúmq; actiones ex charitate oriri.Ob eam etiam causam 1.Cor,13. 4. charitati tribuit patiētiam,comitatem, humilitatem iustitiam,tolerātiam,&alias quasdam virtutes. Charitas,inquit,patiēs est,&c.quoloquendi genere non aliud significatur,quam charitatem esse originem illarum virtutum. Quodquidem adeo verum est,vt,si separes ab iis charitatem,nulla iam reliqua sit futura vera virtus,nullum verum officium: sed simulachra duntaxat virtutū & officiorum. Paul.1.Cor.13.3. Si insumam, inquit,alēdis egenis omnes facultates meas,& si tradam corpus meum vt comburar,charitatem autem non habeam, hoc nihil mihi prodest, Quibus verbis significat hęc esse duntaxat simulachra quædam libertatis,& constantiæ sine charitate,ac proinde nihil cuiquā prodesse.

Quæ virtutes ex charitate oriantur.

Nulla virtus sine charitate, nullum verū officium.

3 *Studentes seruare vnitatem Spiritus per vinculum pacis.*
4 *Vnum est corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis in vnā spem vocationis vestræ.*
5 *Vnus est Dominus, vna fides, vnū baptisma:*
6 *Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis.*

Studentes. Secundum officium speciale, Secunda præ

ceptio speciális. quod nititur communibus illis fundamentis, de quib. supra vers. 2. Aliàs idem commendat Paul. præcipuè vero Phil. 2. ídque grauissima cum obtestatione. Si quæ est, inquit, cõsolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua communio spiritus, siquę viscera ac miserationes, explete meum gaudium, vt itidem sitis affecti, eandem charitatem habentes, vnanimes & sententiis vni. Item 1. Cor. 1. 10. etiam graui cum obtestatione. Rom. vero 15. 5. cõuersus ad Deum vnitatem hanc animorum iis comprecatur maximè seriò. Vnde id videre potes quam necessarium sit, vt omnes Christiani vnanimes sint, cùm id tam vehementer Paulus & commendet, & expetat à Deo. Sensus præcepti facilis est, q. d. date operam vt eodem sitis animo, omniũ animis pacis quasi vinculo in vnum colligatis. Considerãda sunt verba: Nõ ait, nudè & simpliciter: Seruate vnitatem Spiritus: sed *studete*, inquit, *seruare*: significãs necessitatem huius officij, quo non est aliud magis necessarium ad Christianam vitam. Studete, inquit, seruare vnitatem Spiritus. *Vnitatem* hanc *Spiritus* intelligo vnanimitatem, vt alibi loquitur, Sitis vno animo. Neque enim placet hoc loco intelligere Dei Spiritum, cum ab eo argumentum postea sumptum sit, ac com-

2. Vnanimitas, siue vnitas spiritus.

Quàm necessaria.

Ex verbis id colligitur.

Spiritus quid hoc loco.

mēdandam huius, de quo nunc loquimur, Spiritus vnitatem. Spiritum igitur animū ipsum humanum, sed Spiritu S. regeneratum interpretor.

Superioribus illis & communibus fundamentis, quibus etiam nititur hoc præceptum, adiungit proprium huius præcepti fundamentum, quod pacem vocat. Quo nomine intelligo eam, de qua loquitur Rom. 12.18. Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus in pace viuentes. Pacem igitur illam, quam cum hominibus colere debemus, quantum in nobis est hoc loco intelligimus. Obserua naturam veræ pacis, non tam esse positam in externa coniunctione, quàm in interna spiritus & animorum vnitate: quæ si non sit, satis experimur simulationem illam, & fictam pacem aperto bello periculosiorem.

Huius vnitatis proprium fundamentum, Pax.

Cum hominibus.

In quo pacta sit.

Vnum est corpus. Quoniam secundū hoc speciale præceptum magnum habet momentum in vita Christiani hominis: ideo Apostolus seriò adductis plurib. argumentis ipsum commendat. Argumenta autem septem sunt numero, quibus hanc animorum vnitatem commendat. Primum, sumptum est ab vnitate corporis, siue Ecclesię Christi. Vnum est, inquit, corpus Christi, cuius vos singuli membra estis: Ergo sitis

Septem arg. hanc vnitatē commendat.

1. Sumptū est à consideratione corporis Christi, quod vnum

est, etsi multis membris constet.

vno animo. Ecclesia Christi Catholica corporis nomen similitudine quadam accipit. Quemadmodum enim corpus constat multis membris, iísque omnibus à se inuicem differentibus, sic tamen vt in vnum corpus coalescant: ita Ecclesia Christi constat multis membris, iísq; differentibus cōditione. Alij enim Iudæi sunt; alij Græci, &c. Item temporũ & locorum interuallo: Alij enim iam inde à prima creatione fuerunt vsque ab exhibitum Christum, alij post Christum erunt ad consummationem vsque rerum omnium, alij in aliis locis sunt. Verum hæc omnia membra vnum quasi ecclesiæ corpus coniuncta efficiunt. Qua de re leges 1. Cor. 12.

2. A Dei Spiritu, qui vnus est in omnibus.

Vnus spiritus. Secundum argumentum quo hortatur ad vnitatem animi, sumptum ab vno Dei Spiritu. Vnus est Spiritus in omnibus: Ergo estote vos vno animo cum habeatis vnum illũ Spiritum. Spiritus Dei sanctus vnus idémque est in Christo capite, & in membris omnibus. Hic cum sit vnus in capite & in membris omnibus ac singulis, vincit inter se caput & membra primùm, deinde membra mutuò inter sese copulat. Illud verò dignum est imprimis con-

Mirabilis effectus vnius Spiritus Dei

sideratione, quòd valde mirabiliter, vt videri potest, hic vnus Spiritus coniũgat in-

ter se membra corporis Christi: Nam diuersa dona diuersis membris tribuens, hoc ipso quod diuersa sunt dona, arctius inter se coniungit membra: quod mirum videri potest, sed non est mirum, cum idem vsuueniat in membris humani corporis: hoc ipso enim quod singula membra singulas facultates & functiones habeant, inter se optime coueniunt in vno corpore. Si enim vnum corporis membrum, vt manus, v. g. posset omnia quæ possunt cætera corporis membra, profectò iam freta suis facultatibus tam multiplicibus ac seipsa contenta non facilè adhæret reliquis: atque ita corpus ipsum non consisteret. Quod si essent omnia vnum membrũ, inquit Paul. 1. Cor. 12. 19. vbi corpus? q. d. corpus necessariò periret: sic enim manus diceret pedi, non est mihi opus te, vt ille loquitur ibid. Ita etiam res habet in hoc Christi corpore: si enim vnus homo posset omnia, suis fretus viribus, séque vno contentus, reliquos facilè contemneret. Contrà verò cùm in corpore humano manus, v. g. non omnibus facultatibus prædita sit, sua quadam & propria, fit vt manus indigeat operis aliorum membrorum: ideóq. sibi quasi conscia inopiæ suæ, cum iis facile cohæreat. Ita etiam res habet in hoc Christi corpore, in quo

omnes electos inter se coniungens.

Ratio à simili petita, quam D. Paulus accuratè explicat.

Similitudinis reductio & applicatio.

ad Christi corpus.

vnumquodque membrum suum duntaxat & proprium quoddam donum accipiens, non semel & simul omnia, maxime opus habet iis donis & facultatibus quæ sunt vel in infirmissimis corporis huius membris: Ideóque cæteris libenter sese applicat & in vnum corpus cũ iis coalescit. Plura de hac re lege 1. Cor. 12. Atque hic est vnus ille spiritus, qui tam sapienter distribuit dona sua singulis corporis Christi membris, efficítque his ipsis discriminibus facultatem, vt omnia membra in vnum corpus pariter coeant.

3. A Spe, ad quam vocati sunt, quæ vna est.

Sicut & vocati estis. Tertium arg. ab vnitate spei ad quã vocati sunt. Vna est sperata illa hæreditas quam omnes pariter exspectant: Ergo sitis vno animo omnes vos qui eã exspectatis. Cap. 1. huius Epi. vers. 18. Paulus cum precatus esset vt illuminatis oculis, scirent quæ sit spes vocationis Dei: tum exponens eam spem addit (Et quę sint opes gloriæ hæreditatis ipsius in sanctis.)

Quæ sit ea spes.

Ergo spem eo loco intelligit hæreditatem, quam spe possidemus in hac nostra vita. Ita nos hos loco spem vocationis accipimus hæreditatem illam, ad quam participãdam vocati sunt Ephesij. Vide vt argumẽtetur.

Vis huius argumenti.

Vna est hæreditas: ergo sitis vnanimes. Inuerte argumẽtum. Si non vnanimes fueritis,

tis, non erit vna omnium hæreditas. Velim hoc semel aduertant seditiosi illi, & perturbatores societatis illius ac pacis, quā inter se tenentur Christiani homines colere. Hi cum tales sint, audent tamen sibi post hanc vitam cælos polliceri.

Aduers. hæreticos, schismaticos, & epicureos.

Vnus Dominus. Quartum arg. ab vno Domino nostro Iesu Christo, Vnus est Dei Filius Dominus noster Iesus Christus: Ergo nos serui eius omnes debemus esse vno animo. Dominus noster Iesus Christus cum in terris ageret acquisiuit sibi ius dominii in omnes homines, præsertim verò suos, idque magno illo redemptionis opere. Nam vt dominus seruū suum numerato aliquo pretio mercatur: ita nos Dominus noster, non caducis rebus, argento vel auro, redemit ex vana nostra conuersatione. 1. Petr. 1. 18. 19. sed pretioso sanguine, vt pote agni immaculati & incontaminati: eáque re factus est iure, vt loquuntur, Dominus omnium, non tantum quà Deus erat, sed etiā quà homo. Dixi iure Dominum factum, quia Christus, in terris cum ageret, humiliatus, nondum adiit plenam possessionem dominii sui. Quod tum demum factum est cum tertio die resurgens, & postea ascendit in cælos, sedit ad dextram Dei Patris. Iam sedere ad dexteram Patres nihil aliud

4 A Domino nostro Iesu Christo, qui vnus est.

Quo sensu dicatur Dominus noster.

Quo iure sit factus Dominus.

Quando.

Quomodo.

est,quam hæreditatem illam gloriosam adire.DauidPsal.110.1.Dixit, inquit, Iehoua Domino meo.Sede ad dexteram meã, donec disposuero inimicos tuos in scabellum pedum tuorum.Petrus.Act.2.34.35.36.recitans hunc locum Dauidis, eúmque exponens, inquit, Certò sciat ergo tota domus Israel hunc esse factum à Deo Dominum & Christum : hunc, inquam, Iesum,quem vos crucifixistis.Ergo ibi interpretatur Petrus illam sessionem ad dexteram Patris, dominum & regnũm Christi. Atq; ita ab vno Domino Dei Filio argumentatus est.

A quo.

*Vna fides.*Quintum arg.ab vnitate fidei. Vna est fides omnium. Ergo estote vos vno animo. De fide dicere nõ huc pertinet. de vnitate fidei dicendum est.Vnitas fidei nititur vnitate veritatis illius æternæ:nam etsi veritas illa doctrinæ Christianę ,quæ ab ęterno fuit in ipso Deo,iam inde à condito mundo variis modis reuelata fuerit hominibus, (primùm enim annunciata est duntaxat,non etiam scripto commissa:Deinde scriptis Prophetarum & Apostolorũ mandata est: Proposita primùm obscurius ante Christi manifestationẽ: Deinde apertius post Christi manifestationem.) re tamen vna eadémque semper mansit iam inde ab initio.Ab huius igitur veritatis,tan-

5. A fide omnium electorum , quæ vna est.

Fundamentum huius vnitatis fidei

Nempe Dei veritas æterna, semper vna & eadem.

quã obiecti fidei, vnitate, pendet vnitas illa fidei, à qua sumptum est arg. hoc loco. Obs. Somniant quidam, hominem quacunque fide modo ad Deum ducat iustificari, & seruari: ad eámque vanitatem suam probandam abutuntur Prophetæ illo testimonio (Iustus sua fide viuet) cum constet Prophetam illis verbis particularem illam applicationem fidei siue fiduciam, quam quisque in se habere debet, opponere legis operibus. Sic & ego eidem huic vanitati oppono hanc fidei vnitatem, à qua arg. sumptum est hoc loco.

Doctrina. De vna vera fide, aduers. errorem de salute per quécũque cultũ externum obtinenda.

Vnum Baptisma. Sextum arg. sumptum ab vnitate baptismatis. Omnes vno baptismate baptizati estis, ergo sitis vno animo. Inter cæteros baptismi vsus & hic vnus est: Vt sit baptismus quasi nota qua distinguntur Christiani a cæteris omnib. sectis. Vnde etiam existit alter eiusdem vsus in coniungendis inter se mutuò Christianis hominibus: nam vna eadémque opera & seiungit nos ab aliis, & nos inter nos coniungit. Hunc baptismi vsum respexit Paulus, cum argumentaretur ab vno Baptismate. Obs. Vnum est Baptisma. Quare cum Baptisma celebretur in Nomine Patris, Filij, & Spiritus S. necesse est hi quoque vniãtur inter se certo quodam modo: alioqui enim

6. A Baptismate, quod vnum est.

Huius vsus.

Doctrina, de vnitate essentiæ & Trinitate personarũ in vna illa essentia.

non possit vnum esse baptisma: Nō autem possunt vniri quoad personas (sunt enim hæ diuersæ) Ergo necesse est vna eadémq; sit trium personarum essentia, & vnum sint hoc modo. Hoc contra Arrianos valet.

7. A Deo, qui vnus est. *Vnus Deus.* Septimum arg. ab vnitate Dei Patris. Est vnus Deus Pater omnium: Ergo sitis vos vno animo. Ait igitur vnum esse Deum, cum autem Filius sit Deus, & Spiritus S. sit Deus, restringit eum adiecta Patris persona, Est *Vnus Deus,* inquit, *& Pater omnium.* vocat igitur eum Patrem omnium.

Cur Deus, Pater nominatur. Deus Pater nominatur, primùm quia est Pater Christi, videlicet per naturam: deinde quia est Pater omniū creaturarū, nempe, per creationē, tertiò quia est Pater Ecclesiæ, nempe, per regenerationem, & adoptionem in Christo naturali suo Filio. Hìc autem intelligendus est Pater respectu regeneratorū in Ecclesia Christi: de iis enim hic propriè sermo est.

1.
2.
3.

Patris descriptio subiecta. Non contentus sola Patris appellatione exornat eum præterea magnifica quadam descriptione, sumpta ab ipsius partim imperio in Ecclesiam suam, partim prouidentia, eáque duplici, etiam erga Ecclesiam suam.

Trib. partib. constans, Descriptio trib. partibus constat. Prima est his verbis, *super omnia,* quib. significatur Dei Patris summum imperium in Ecclesiam vniuersam. 2. pars

super omnia

est his verbis, *per omnia*, quibus significatur Dei Patris prouidentia, operantis efficaciter per omnia Ecclesię suæ membra, tanquam totidem prouidentiæ suæ instrumenta. 3. pars est his verbis, *in omnibus*, quibus significatur eadem prouidentia Dei Patris, non modo operãtis per Ecclesiæ suæ membra tanquam instrumenta, sed etiam in iis, dum nimirum habitat in iis, & agit eos per Spiritum S. Differunt inter se posteriora hæc duo membra. Prius generalius est sua natura, patétque ad omnes creaturas quib. vtitur Deus tanquam ministris & instrumentis prouidẽtię suę. Posterius verò specialius est ad electos tantum & regeneratos pertinens. Nam quotquot aguntur Spiritu Dei, illi filij Dei sunt. Dãda igitur nobis opera est, vt dum agit Deus per nos tã quã instrumenta prouidentiæ suæ, nos ipsi intereà sentiamus nos agi Dei Spiritu.

Per omnia. In omnibus. Discrimẽ inter has partes, *per omnia* & *in omnibus*

Obs. 1. Plures sunt hîc, vt ita dicam, vnitates, quarum ordinem si spectes prima est Dei Patris, vltima membrorum Ecclesię animis cõsentientium: mediæ inter primam & vltimam sunt vnitas Domini, vnitas spiritus, vnitas fidei, vnitas spei, vnitas baptismatis, vnitas denique corporis. Prima vnitas Dei Patris efficit postremã animorum vnitatem per medias illas. His positis ne-

Doctrinæ. 1. De Ecclesiæ sensu & consensu.

8 *Quapropter dicit, quum ascendisset in sublime, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus.*

9 *Caeterum illud ascendit, quid est nisi quod etiam descenderat prius in infimas partes terrae.*

10 *Qui descendit, ipse est qui etiam ascendit longè supra omnes caelos, Vt impleret omnia.*

11\. *Sed Vnicuique.* Secunda pars cap. in qua digreditur ad ostendendam donorum diuersitatem: occasio autē haec est, Multa fecit omnibus cōmunia, vnum corpus, vnum Spiritū, vnum Dominum, vnā fidem, vnum Baptisma, vnum Deum & Patrem omniū: haec fecit communia omnib. membris Ecclesiae. Nunc ne quis existimaret quęcunq; etiam alia esse communia, specie quadam correctionis subiungit, vnicuique datam esse gratiam, &c. Primùm igitur proponit hoc vers. *Vnicuique datam esse gratiam.* Deinde propositionem explicat ad vers. 17. Propositionis sententia haec est. Vnusquisque accepit suam quandam gratiam certa mensura definitam, prout visum est Christo, qui largitor est omnis gratiae, eā cuique definire. In hac propositione tria cōsiderātur, 1 quod vnicuiq. data sit gratia. 2. quod vnicuique data sit gratia ad mensuram, &

Altera parte cap. digreditur Apostol. vel potius aggreditur explicationem diuersitatis donorum S. Spiritus.

Propositio.

Sententia propositionis

Partes.
1.
2.

descriptum sit suum cuiq; quasi gratiæ demensum. 3.quod Christus sit largitor gratiæ huius. Ex his tribus primum, nempe, quod vnicuiq;data sit gratia,explicat Paul. Rom.12.4 5 manifesta similitudine.Quemadmodum in vno corpore membra multa habemus,mēbra vero omnia,eandem non habent actionem: Ita multi vnum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra. Intelligēdum est in apodosi nos multos, qui tamen sumus vnum corpus in Christo, habere alia atque alia dona.De secundo autem vt dicamus,nempe,quod data sit gratia ad mēsuram.Ioan. 3.34.dicitur de Christo,quod Deus non sit admensus illi Spiritum,cuius finis ostenditur,Ioan.1.16.vt ex plenitudine ipsius acciperemus omnes.Col.2. 10. vt nos simus in eo completi. Ergo hoc discriminis statuo inter Christum &nos,quòd cùm ille supra omnem mensuram acceperit dona Spiritus, cum sit Dei Filius, nos ea ad certam dūtaxat mensuram ex eius plenitudine acceperimus.Id quod Apost. expresse docet Rom.12.3.Sapiat,inquit,quisque ad sobrietatem,prout cuiq; Deus partitus est mensuram fidei. Vnde hîc mensuram expresso nomine vocat illud donum omne quòd nos accipimus à Deo. Sed quid opus est

3. Prioris explicatio.

Secūda pars, de gratia data ad mensurā, non Christo, sed Christi membris.

multis, cum omnes nos experiamur in nobis ipsi tantam mensuram gratiæ inesse.

Tertia pars, de datore huius gratiæ, nempe Christo.

Tertium est, Christus est dator huius gratiæ. Etsi verum quidem sit omnium donorum laudem Deo Patri, vt primo authori tribuendam esse, vt loquitur Apost. Rom. 11.36. Ex quo, per quem, in quem sunt omnia, ipsi sit gloria in secula, Amen: tamen nihil absurdi feceris, si hanc laudem cum Filio communices, apud quem Pater omnia illa deposuit, vt Filius ea deinde suis distribueret: quod agnoscens ipse Christus, Ioan. 7.37. Si quis sitit, inquit, veniat ad me & bibat: quibus verbis inuitat ad se quoscunque, ad participandum hac plenitudine donorum quæ in ipso sunt. Hæc de propositione hactenus.

Apud quem Pater omnia dona deposuit, vt ex eius plenitudine accipiamus omnes.

Doctrinæ.

1. Nullũ membrum mortuũ est in vero & viuo Christi corpore, quod est electorum Ecclesia.

Obs. 1. Vnicuique data est gratia. Ergo nullum omninò est membrum Ecclesiæ, quod non accepit suam quandam & propriam gratiam, ídque adeò verum est, vt impossibile sit alioqui membrum illud corpori adhærescere, nisi per gratiam suam id fiat, secus enim membrum inutile esset. Quod si nulla sit pars corporis humani, ne vna quidem, sine suo quodam vsu in ipso corpore: Quanto magis hoc verum esse debet in sancto illo Christi corpore? Quod si sit aliquis in Ecclesia qui hoc nondum vi-

derit, videat & cognoscat illud tandem, vtatúrque illa gratia sua ad vtilitatem communis corporis. Nolim autem homines istud ignorare, non tantum dona illa Prophetiæ, cæteráque quæ in Ecclesiasticis hominibus conspicimus, data esse ad vtilitatem Ecclesiæ, sed quascunque etiam vocationes politicas, initio sumpto ab ipsa regum vocatione, eo pertinere vt Ecclesia Dei promoueatur in terris. Hoc imprimis intelligant illi qui sic viuunt, ac si non acceperint ista in gratiã Ecclesiæ, fore vt Christus donorum omnium largitor, rationem tandem sit exacturus, & cogniturus quomodo ista impenderint in vsus Ecclesiæ suę.

Exhortatio efficax ad pios omnes, tum vocationis generalis tum specialis respectu.

2. Vnicuique, inquit, data est gratia ad mensuram. Quod si ita sit, ne aspiret quispiam ad munus aliquod, vel in repub. vel in Ecclesia sustinendũ, nisi viderit priùs, an gratiam acceperit: quod si senserit se accepisse gratiam, pergat diuino auspicio: quod si minus senserit sibi datam esse gratiam, ne experiatur quod cogetur tandem cum ignominia abdicare. Kursus ne recipiat quis in se munus, nisi etiam viderit priùs quanta sit mensura gratię sibi datæ: quòd si senserit eam Dei dono satis magnam, tum experiatur magna Deo duce: sin senserit mediocrem, experiatur tantũ mediocria, nisi ma-

2. Omnis ambitio longe à regimine politico & ecclesiastico remouenda.

Aduers. temerarios, polypragmonas, ardeliones, & altum aspirantes.

lit perpetuò luctari cum infirmitate sua, vel potius cum eo quod superat vires suas, frustra cōgredi. Nihil est quod Paulus maiori cū authoritate imperat, quā vt quisq; contineat se intra vocationis suæ limites. Rom. 12.3. Enimuerò, inquit, per eam gratiam quę data est mihi edico vnicuiq; versanti inter vos ne sapiat supra quàm oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatē, prout vnicuique Deus partitus est mensuram fidei. Existimo profectò inter cetera Dei dona, donum illud non esse infimum, quod quis Dei gratia possit videre, primùm quid acceperit, & quid non deinde quantum acceperit: postremò vt sapiat pro mensura doni. 3. Vocat donum Christi. Omnes natura Dei donis superbimus: Scientia ait, Paulus, inflat. Remedium verò præsentissimum aduersus hoc malum est, si reminiscamur ea esse Dei dona. Paul. 1. Cor. 4. 6. 7. reprehendens quorundam inflatam illam superbiam (Ne alius, inquit, pro alio inflemini aduersus alium) Huc eos reducit, vt agnoscant donum Dei esse quicquid id sit quod habent. Quis te discernit? inquiens, quid autē habes quod non acceperis: quod si etiam accepisti, quid gloriaris vt qui non acceperis? Ex quibus etiam verbis illud discis, neminem superbientem donis suis

Huius doctrinæ vsus.

3. Quæcunq; habemus, sunt Dei dona, Ne igitur alius infletur aduers. alium

Superbiæ maximū malum.

posse cogitare ea esse gratuita Dei dona, sed apud animum suum reputare ea omnia q icquid demum profiteatur, sua & ex se esse.

Quapropter dicit. Priusquam accedat ad declarationem propositionis, quæ est per inductionem partium, quæ sequitur ver.11. probat Christum esse datorem omnium donorum: sic enim priùs digito quasi demonstrat ipsissimum donorum omnium fontem. Arg. sumptum est à testimonio Dauidis Prophetæ, Ps.68.19. in hanc formam: Christus, ait Dauid, quum ascendisset in sublime, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus: Ergo Christus est donorum omnium largitor. Conclusio sequitur postea in fin. vers.10. Quòd ad propositionem: quò eam intelligamus melius opus est vt paulò al iusrepetamus consiliũ & mentem Dauidis in illo Ps. Dauid Ps.68. exorsus à cõmendatione & magnifica prædicatione Dei, ex effectis præsentię suæ, tũ in aduersarios, tum erga pios & mo.igeros, pios ad laudes illius hortatur, primùm à maiestate & natura, deinde ab operibus ipsius: quæ in genere proposita, primum, deinde specialiter explicãtur exemplo beneficentiæ ipsius in populo ex Ægypto educendo. Tertiò hortatur à futura liberatio-

Tertiæ partis assertio, nempe Christum esse datorem omnium bonorum.

Ratione sumpta à Dauid. testimonio.

Cuius consiliũ hoc Psalmo expenditur.

Et per partes explicatur.

ne ab omni angustia: Quartò denique à donis & beneficiis virtute ascensionis, & glorificationis Christi copiose conferendis.

Quarum postremam attigit Paulus.

Ascendens, inquit, in sublime captiuam fecisti captiuorum multitudinem, & accipiens dedisti dona hominibus. Quibus verbis significat Propheta Deum sub persona Filij indutum carne humana ascēsurum in cælos, & traducturum quasi in triumpho inimicos omnes: suos autem beaturum donis spiritualibus. Paulus igitur cum videret hæc de Christo prædici, & in eo impleta esse, vtitur eo Dauidis testimonio ad ostendendum Christum esse datorem omnium donorum.

Apposité locum Dauidis ad exhortationem institutam applicans.

Quod ad verba attinet: duo sunt distinguenda hoc vers. Primum est, quod ascenderit Christus in sublime: deinde sunt duo ascensionis effecta. Alterum inimicos: Alterum amicos respicit. De ascensione Christi, non est quod hìc dicamus: tantum intellige, quod Dauid sublime vocat, Paulum postea vers. 10. interpretari cælos, vel locum qui est longè supra omnes visibiles hos cælos. *Captiuitatem*, cuius meminit in priore effectu (vt de eo nūc aliquid dicam) intelligo captiuorum multitudinem, vt loquitur ipse Dauid in eo Psal. vers. 19. Porro captiui isti sunt mundus, peccatum, mors,

Meminit autem 1. Ascensionis,

In sublime, id est in loco longè supra ōnes visibiles cęlos

1. Captiuitatis, seu capti-

caro, diabolus, denique quicquid se opposuit Christo humiliato. De hoc habes Col. 2.12. & seq. Quo loco sublimiter describitur Christus triumphans de Satana eiúsq; angelis. Et exspoliata, inquit, imperia ac potestates traduxit palam, triumphatis illis per eam, nempe, crucem suam, De posteriori effecto commodior locus dicendi sese offeret in conclusione argumenti.

uorum multitudinis, qua comprehenduntur omnes Christi hostes

Obs. 1. Quæ de Deo æterno prædicta sunt in Veteris Testamento, Apostoli in Nouo Testamento accommodant ad Christum. Eph. 8. Dicitur Iehouam exercitum fore in lapidem illisionis, & in rupem offensionis ambabus domibus Israelis. Paul. Rom. 9.33. De Christo hũc locum interpretatur. Ecce, pono in Sion lapidem offendiculi & petram offensionis: & quisquis credit in eum, non pudefiet. Isai. 45. dicitur omne genu Iehouæ incuruatum iri, & iuraturam omnem linguam. Paul. Rom. 14. 10. Hoc de Christo intelligit. Postquam enim dixit omnes sistemur apud tribunal Christi, in eam sententiam allegat locum Prophetæ. Scriptum est enim, inquit, viuo ego, dicit Dominus: quoniam mihi sese flectet omne genu, & omnis lingua cõfitebitur Deo. Ita hoc loco Dauid de Deo ait, quod ascendens captiuam fecerit captiuorum multi-

Doctrinæ.

I. Assertio deitatis Christi, ex collatione locorũ Vet. & Noui Testamenti.

1.

2.

3.

Aduersus Arrianos.

tudinem. Paulus locum de Christo intelligit. Hinc discimus Seruatorem nostrum Iesum Christum sic hominem esse vt etiam Iehoua, & Deus sit ab ęterno. 2. Diximus suprà Christum ascendentem in cęlos ingressum esse possessionē regni illius, quod sibi iam antea in terris degēs opere redemptionis maximo acquisiuit. Nunc habemus hoc regnum partibus suis explicatum: Partes sunt, dominum in inimicos, dominium in suos. Quęstio existit hoc loco: An regnū Christi iam perfectum sit, etiā ante extremum illum diem: cum hic loquatur de hostib. quasi iam debellatis & superatis? Resp. Non ante secundum aduentū Christi perfectum iri hoc regnum & imperium siue in suos, siue in inimicos: Nam quòd ad dominium in inimicos, etsi illi in capite prorsus subacti sint, tamen in corpore nōdum sunt plane superati. Quòd ad dominiū in suos, & dona quæ ipsis data sunt: etsi caput ipsū sit omnibus donis prorsus glorificatum, tamen membra nondum perfecta sunt, neq; perficientur ante illud tempus, quo Deus erit omnia in omnibus, vnde illud videmus, in neutram adhuc partem perfectum & consummatum esse hoc Christi regnum

2. De regno Christi, in inimicos, & in elect. suos.

Non est perfectum ante nouiss. diem.

Neque in inimicos,

Neque in electos.

Citatum Dauidis testi-

Cæterum. Priusquam concludat ex testimonio, probat Dauidis illud testimonium de

de Christo intelligendum. Quod ascendit, idem est cum eo quod descẽdit priùs. Qui descẽdit est Christus: Ergo qui ascendit est Christus, Propositionem, syllogismi tãtum habemus hoc loco. Propositionis huius veritatem asserit Christus. Ioan. 3.13. Nullus ascendit in cælum, nisi qui descendit è cælo, nempe, Filius hominis. Quęstio, an nemo ascendit nisi qui descendit priùs? Quid igitur fiet de nobis omnibus, quomodo tandem ascendemus, qui nunquam descendimus? Resp. Ascendere propriè est sua virtute ascendere: Christus solus sua virtute ascendit: Ergo Christus solus ascendit propriè: Nos autẽ virtute Christi ascendemus tempore à Deo constituto. Quare illud verum est, nemo ascendit, nisi qui descendit. Non est quod magnopere immoremur in verbis, tantum hoc nunc dicimus per infimas *partes terræ*, non infernum, non Limbum patrum intelligi cum Papistis, sed terram ipsam, quæ respectu cæli & aliarum mundi partium infima est.

moniũ Christo cõpetere probat Apostolus.

Et Christus ipse.

Discrimen inter ascensionem Christi & nostram.

Quæ sint infimæ partes terræ.

Qui descendit. Declarat propositionem iam conuersione partium. Qui descendit, ipse est qui etiã ascendit: dixit enim priùs: Qui ascendit, idem est cum eo qui descendit: quasi diceret, idem sunt prorsus, sic vt qui ascendit, sit is qui descendit, & qui de-

Propositiõis declaratio per ἀντιστροφήν.

scendit sit is qui ascēdit. Scimus enim quę reciproce se consequuntur ea prorsus cō-iuncta esse inter se. In verbis tantum expo-nimus quid sit longè supra omnes cælos a-scēdere. Non hîc intelligimus οὐτοπίαν cum Vbiquitariis, sed certum quendam locum eúmq; spatiosum & amplum, qui est extra hunc mūdum, & supra omnes visibiles hos cęlos, in quo maximè Deus gloriosus se pa-tefacit beatis Angelis, & hominibus, ideó que ibi habitare dicitur: & in quo parata nobis sedes est, vbi cum Christo capite in æternum permanebimus. Hoc est illud cæ-lum quod alias nouus mundus appellatur, paradisus etiam, & sinus Abrahæ dicitur. Hoc est illud cælum quo Christum conti-neri necesse est ad diem illum restitutionis omnium.

Quid sit ascē-sio supra om-nes cælos.

Aduersus Vbiquitatis commētum,

Cælum quid

Absoluta hac confirmatione redit quasi ad institutum, & sententiam conclusionis, quæ sequitur ex Dauidis testimonio, infert, quam connectit cum superiori loco, tan-quam finem ascēsionis Christi. Nam quod dicit hoc loco Christum implere omnia, & quod dixit 1. cap. 23. huius Epist. cum imple-re omnia in omnibus, per id non intelligo eum implere omnia carne sua & humana natura cū Vbiquitariis: sed Christum, post eaquam ascendit, omnes sanctos suos lar-

Quo sensu di catur Christus implere ōnia.

giùs iam quam antea donis & benedictionib. spiritualib. replere. Atque hæc est sententia institutæ conclusionis, nempe, Christum dare omnia dona hominib. Obs. Christus priusquam ascendit in cælos, non ingressus est regnum suum, & plenam gloriam. Non autem plenè glorificatus, non adeò efficax potuit esse in suis. Expedit vobis, inquit, vt ego abeam: nisi enim abiero, Consolator ille non veniet. Deinde Ioan. 7.39. ait Nondum erat Spiritus S. quia Iesus nondũ erat glorificatus. Hinc colligo, Christus quò lõgius abest à nobis supra omnes cælos positus, eo ipsum propius à nobis abesse per Spiritum suum. Hoc obseruo, primùm aduersus eos qui Christi propinquitatem metiuntur crassa illa & corporea cõiunctione humanæ naturæ Christi, præsertim in Cœna Domini. Deinde aduersus vulgus hominum, qui ex ignorãtia Christi solent dicere: Si ipsis contigisset cum Christo, in terris adhuc agente, versari, vt olim Iudæis, & Apostolis: & videre quæ edidit miracula: & audire, quæ dixit verba: non potuisse fieri quin statim credituri fuisset. Sed affirmo longè efficaciorem esse Christum absentem nunc, quàm olim, cum præsens corpore inter Iudæos commoraretur. Experientia Apostolorum ipsorum hoc ostendi

Doctrina.

De præsentia Christi, etiam si supra omnes cælos corpore positi.

Adu. nouos Capernaitas.

Item aduers. profanos & carnales homines.

poteſt,in quos tum demum effuſa ſunt Spiritus dona,cum Chriſtus abiens ex his terris aſcẽdit longè ſupra omnes cælos. Illud igitur inſideat prorſus animis noſtris,ſi nõ ſentiamus in nobis efficacem Chriſtum etiam abſentem in corpore,non iam Chriſti abſentis, vt queruntur,ſed noſtra culpa id euenire.

11 *Dedit igitur ipſe alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.*

12 *Ad coagmentationem ſanctorum ad opus Miniſterij, ad ædificationem,inquam, corporis Chriſti.*

13 *Donec euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum,ad menſuram ſtaturæ adulti Chriſti.*

Illſtratio propoſitiõis de diuerſitate donorum,per inductionem.

Dedit igitur. Hactenus obiter docuit Chriſtum eſſe eum, qui largiatur nobis omnia dona:nũc reuerſus illuſtrat propoſitionem illam,de diuerſitate donorum,quæ fuit verſu 7. illuſtrat,inquam,eam inductione quadam præſertim donorum miniſterij eccleſiaſtici,Ad quæ tractanda priuſquam accedamus ſoluenda nobis quędam quęſtio eſt, Quũ inſtituat tractare non officia ſiue functiones ipſas, ſed dona quæ inſeruiũt officiis,quæque ab officiis ipſis differunt:mul-

At non dona tantum, ſed etiam ſeruos

ti enim recipiunt in ſe officia, qui tamen dona non acceperũt: cur hoc loco inducit, non dona, ſed officia. Reſp. Solutionem pa tere ex ipſo contextu: Ait enim, dedit itaque ipſe Chriſtus: quos autem dat, & mit tit nobis Chriſtus Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, &c. eos dat ac mittit inſtructos donis, quibus aliquo certè modo idonei fiant ad functiones illas obeundas. Ergo hoc loco nõ ſolum functiones ipſas, ſed etiam cum functionibus dona intelligo.

ſuos donis toti Eccleſię per neceſſariis inſtructos donat.

Nunc ad rem accedamus: Tres ſunt omnino partes Miniſterii eccleſiaſtici. Prima pars eſt poſita in verbo prædicando, & Sacramentis adminiſtrandis. Secũda pars, in diſciplina curanda, & corrigẽdis moribus: Tertia pars eſt, in ſuſcipienda cura pauperum. His tribus partibus reſpondent tres ordines Miniſtrorũ. In primo ordine ſunt, qui prædicant verbum, & adminiſtrant Sacramenta, in quo genere ſunt Paſtores & doctores. In ſecundo ordine ſunt qui præſunt diſciplinæ & moribus, qui presbyteri vocantur. Nam, vt hoc obiter dicam, etſi qui Paſtor eſt, idem quoque presbyter ſit, & qui miniſter verbi & Sacramẽtorum eſt idem quoque diſciplinæ præfectus ſit: tamen presbyter, qui propriè eo nomine dicitur, officio differt à Paſtore, neque omnis

Locus de miniſterio Eccleſiaſtico, cuius tres ſunt partes.

His partibus tres miniſtrorum ordines reſpondent. Nempe Paſtores & Doctores.

Presbyteri, qui officio differunt à Paſtoribus.

presbyter statim Pastor est, etsi contra verum sit, qui Pastor est alia ratione eum presbyterum esse Paul .1.ad Tim.5.17.Qui bene præsunt presbyteri, inquit, duplici honore digni habentor, maximè qui laborant in Sermone & Doctrina. Quo loco manifestum est presbyteros esse alios, qui non laborant in verbo, alios qui laborant in verbo,& hi inquit, duplici honore digni habentor. Atque hæc placuit obiter obseruare propter eos qui in presbyterii ordine nolunt esse nisi Pastores, exclusis, vt vocant, laicis. Nunc redeo ad ordines ministrorum, & eos qui laborant in verbo. In tertio igitur ordine sunt, qui procurant bonum pauperum & egenorum in Ecclesia, qui Diaconi vocantur. De presbyteris & diaconis non est nunc dicendum.

Vt ex alio Apostoli testimonio liquet.

Diaconi, seu pauperū procuratores.

De primo ordine eorum qui laborant in verbo, Apostolus loquitur enumeratis eorum quinque ordinibus qui etiam subalterni sunt: eos nos sic colligimus: Ministri verbi partim sunt extraordinarii, partim sunt ordinarii. Extraordinarii sunt qui præter communem morem vocandi, à Christo excitati sunt, quorum extraordinaria, vt est vocatio, ita extraordinaria etiam sunt dona. Mittuntur non ad certam aliquam Ecclesiam, sed ad quoscunque indifferenter.

Primi ordinis consideratio: vbi occurrūt Pastores, seu Ministri Ecclesiæ.
1. Extraordinarij, vocationis, donorum Ecclesiæ & officij respectu.

Durat eorum officium non in perpetuum, ſed ad tempus. Tempus illud quo Deus ſolitus eſt extra ordinem hos excitare, fuit, cum ordinarii negligentes eſſent ac parum fideles in officio, & res Eccleſię iam propè deſperata eſſet. Tum ſolitus eſt Deus excitare iſtos, vt ordinarios in ordinem cogerent: & penè perditum Eccleſiæ ſtatum reformarent. Cum deploratæ eſſent omnino res non gentium modò, ſed etiam Iudæorum, venit Chriſtus Dominus noſter in hunc mũdum: excitati ſunt extra ordinem Apoſtoli qui rerum perturbatiſſimarum ſtatum renouarent, & omnia recolligerẽt. Sic poſtremis his temporibus Eccleſia iam penè oppreſſa per tyrannidem Antichriſti, excitati ſunt extra ordinem viri magnanimi & veri Dei ſerui, quos ad gloriam Dei & perpetuam ipſorum commendationem nomino, Vicleuus, Huſſus, Lutherus, Zuinglius & alii. Hi, etſi ordinaria pro tempore & ſtatu corruptæ Eccleſiæ fuerit eorum vocatio, (fuerunt enim omnes aut Presbyteri aut Doctores,) tamen extraordinarii meritò dicendi ſunt, cùm dona eorum fuerint non modò extraordinaria, ſed planè miraculoſa, dum mirabili cognitione reſtiterũt Sophiſtis illis, cæcis mundi ducibus. Dum mira animi fortitudine obuiam iuerunt o-

Quo tẽpore & qua de cauſa excitantur à Deo.

Exemplum in Chriſto.

In Apoſtolis

In Apoſtolicis viris, præſertim vltimo hoc ſeculo.

Horum Apoſtolicorum virorum vocatio qualis fuerit.

Argumenta ab effectu & euentu.

mnibus regibus & mundi huius principibus, qui quacunque ratione surgens illud reformationis opus conati sunt demoliri.

Extraordinarij in vetere Ecclesia.

Sed de his hactenus. Extraordinarii varii fuerunt in primitiua Ecclesia: partim illi, qui primum collegerunt & plantarunt Ecclesias, & Apostoli dicebantur.

Apostoli.

Partim verò illi qui plantatas irrigarunt ac confirmarunt, & Prophetæ & Euangelistæ vocabantur: qui rursus non caruerunt suo quodam discrimine.

Prophetæ.

Nam Prophetæ erant, qui pollebant dono interpretationis & applicationis, & inter applicandum denunciationis futuri boni, vel mali: vnde etiam Prophetę dicti sunt. Ex his fuit Agabus: de quo legimus Act. 21. 10.

Euangelistæ.

Euangelistæ erant qui etiam interpretabantur & applicabant, sed comites erant Apostolorum, & quò illi mittebant, ibant: quò reuocabant, redibant. Ex his fuerunt Timotheus & Titus.

Vocatio extraordinaria sub Lege, nẽpe Prophetarum.

Atq. hæc hactenus de extraordinariis tribus ordinibus, Apostolis, Prophetis, & Euangelistis: qui respondebant extraordinariis sub lege Prophetis, qui non solum ex tribu Leuitica, sed etiam ex quacunque alia soliti sunt excitari.

2. Ordinarij ministri.

Sequuntur ordinarii. Ordinarii erant qui iuxta communem morem vocati sunt, ordinariis etiam donis præditi. Durant non

ad tempus, sed ad finem mundi. Hi duplices sunt, partim sunt illi qui non modo verbum prædicant, sed etiam applicant, ministrant Sacramenta, & præsunt disciplinæ: & hi Pastores dicuntur. Partim sunt qui tantummodo docent verbum, & hi Doctores vocantur, Atq; hi sunt ordinarij duo ordines, Pastores & Doctores: qui respondent ordinariis sub Lege Pontificibus & Leuitis. Atque hæc de quinque ordinibus, & iis quidem ὑπαλλήλοις: tribus extraordinariis, Apostolis, Prophetis, & Euangelistis, duobus ordinariis, Pastoribus & Doctoribus.

Pastores.

Doctores.

Quæri potest hoc loco, cùm sæpe fiat in scriptura Episcopi mentio, cur non numerauit Apostolus etiam Episcopos inter ministros verbi? Resp. In scriptura Episcopi nomen idem prorsus significare quod Presbyteri, siue sit ille tantum Presbyter, siue etiam Pastor. Quod allatis in medium aliquot ex Scriptura sacra testimoniis nitar confirmare. Tit.1.5. Huius rei gratia reliqui te in Creta, vt quæ reliqua sunt pergas corrigere, & constituas oppidatim Presbyteros: tũ quales oporteat eos esse describens: Oportet, inquit, Episcopum inculpatum esse, &c. Act.20.17. & seq. dicitur Paulus Miletum accersiuisse presbyteros Ephesinos, quos ita deinde alloquitur. Attendite vos

Episcopus est verbi minister.

Teste Apost. variis locis.

ipſos &totum gregem, cui Spiritus S. conſtituit vos Epiſcopos. Vbi obiter notat non dici Epiſcopos ob id quòd præſunt presbyterio, ſed quòd præſunt gregi ſuo. Ad Philip. 1. 1. Paulus & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, vna cum Epiſcopis ac Diaconis. Epiſcopos presbyteros vocat. Chryſoſtomus enim in eum locum ſcribens: Quid rei eſt, inquit. An multi fuerũt eiuſdem ciuitatis Epiſcopi? Non, inquit. ſed qui tum presbyteri erant, iidem erant Epiſcopi. 1. Pet. 5. 2. Compellans Petrus presbyteros. Paſcite, inquit, gregem qui penes vos eſt ἐπισκοποῦντες. Poſtremò Paulus hoc loco recẽſens ordines omnes miniſtrorum verbi, nihil de Epiſcopis loquitur, tãquam diuerſis à Paſtoribus. Idque Ambroſius in hunc locum ſcribens obſeruauit. Non per omnia, inquit, conueniunt ſcripta Apoſtoli ordinationi Eccleſiæ, quę nunc eſt.

Chryſoſt.

Apoſt. Petro

Ambroſio.

Quid multis, nulla ſcriptura aliter aut loquitur, aut ſentit de Epiſcopis. Et experientia hodierna docet, hoc genus hominum ambitioſorum & ventri inſeruientium conſcientiæ ſuæ naufragium facere, vt taceã Antichriſtũ ex hoc quaſi principio & humano inuento, cui Deus in verbo ſuo nunquam benedixit, originem duxiſſe. Prodũt

Aduerſ. profanam pſeudoepiſcoporum gloriationé, & execrandam tyrannidem.

Episcopum presbyterio præfectum remo- Obiectio corundem.
uendi schismatis causa. Sed vt de contraria
experientia nihil dicam, quid ad hoc resp.
Greg. Naz. orat. in Maxim.? Vtinam, inquit Gr. Naz. verbis cõfutata.
nulla esset throni prærogatiua! Nunc autem dexterum hoc latus, & sinistrum & medium superior & inferior sedes & illa præeundi vel eodem gradu incedendi inuecta consuetudo, nos in multas partes confregerunt.

Obs. 1. 1. Cor. 12. 8. Rom. 12. 6. vbi agitur de donis, initium sumit Spiritus ab his donis ministerii, tum ad alia venit: sic hoc loco declaraturus vnicuiq. datam esse gratiam, inductione primùm vtitur donorum ministerii: deinde descendit ad ædificationem Ecclesiæ, hoc est, ad dona alia. Hoc ordine seruato in donis recensendis proculdubio significatur præcipua esse, & prima in Ecclesia dona ministerii, quippe quę non tantum ipsa sint dona excellentia quidem, & tanta quanta mirum est Deum vnquam infudisse in vascula ista testacea, sed principia etiam sint & causæ omnium aliorum donorum, quæ ad ædificationem Ecclesiæ pertinent, fidei regenerationis, resipiscentiæ, &c.

Doctrinæ, quæ ex hac methodo apostoli colliguntur.

1. De donorũ ad ministeriũ Ecclesiæ pertinentium præstantia.

Tria sunt ferè hominum genera, quæ ministerium verbi contemnunt: Primum genus est hominum phanaticorum,

Cui ministerio S. aduersantur.

Enthusiastæ & Libertini, cognomine Spirituales.
Superbi.
Epicurei & Athei.
Refelluntur autem miseri isti, arg. ducto à ministerij ecclef. necessitate.
A Dei mãdato expresso,
2. Aduersus errorem de capite ministeriali.

qui ἐνθουσιασμοὺς & priuatas reuelationes iactant, relicta ordinaria illa docendi ratione. Secundum genus est, superborum hominum quorundam, qui delectati priuata lectione, conciones & conuentus Ecclesiasticos fastidiũt. Tertium genus est, atheorum & epicureorũ quibus nihil curæ est, neq; cæli, neque inferi, sicq; viuunt quasi non sit expectanda post hanc vitam altera. Quicquid delirent miseri isti homines, tenendum nobis est, neque solis lumen & calorem, neque cibum & potum magis necessarium esse ad corporalem hanc vitam, quàm sit ministerium verbi ad spiritualem illam tolerandam: At, inquies, quæ est Dei potentia, præter ordinem potest nos quibus ipse nouit rationibus informare ad vitam æternam? Quid possit Deus, nõ disputo: sed quid præcipiat, scio. Mãdauit nobis ordinarium verbi ministeriũ: tu, si hoc relicto & spreto putaueris tibi pendendum esse ab extraordinaria illa potẽtia: affirmo fore, vt nunquam sentias Dei potentiam, nisi ad perniciem tuam sempiternam.

2. In recensendis ministerij verbi ordinibus, nihil hic meminit vnius ministerialis capitis. Quod quidem, si adeò necessariũ esset in Ecclesia, vt prædicant pontificij, profectò in recensendis ordinibus mi-

nisterij Ecclesiastici, Apostolus præcipuo illo & maximè necessario prætermisso, doctoris munus quod in ministerio verbi infimum est, non numerasset. Præsertim cum proximè superius dixerit Christum ipsum relictis iam terris ascendisse supra omnes cælos, quoad humanam naturam. Annon igitur statim subiiciendum fuit: Dedit igitur vnum ministeriale caput, quòd in terris fungatur vice absentis Christi. Sed apage ineptias istas: Apostolus nunquam cogitauit de alio capite ecclesię, ne ministeriali quidem, quam Iesu Christo. Cogitauit fateor de homine illo scelerato, filio perditionis, quem 2. Thes. 2. prędicit sessurum in templo Dei, tanquam Deum & præ se laturum se esse Deum. Atque hic est Antichristus ille Romanus, qui veri capitis Iesu Christi loco coli vult ab hominibus: quem Dominus vt iam cepit conficere Spiritu oris sui: ita tandē illustri aduentu suo abolebit.

Pontificij deducuntur ad absurda & blasphema: accusát enim Apost. incogitātiæ. ἀπαιδευσίας & apostolicā doctrinā esse mutilam, imperfectam, obscuram mussitant.

Retorquetur argumētum. Meminit Paulus capitis Pontificij, nempe filij perditionis.

3. Dedit, inquit, Christus alios apostolos, &c. Ergo fidelis minister Euangelij est Dei donum. Rarum autem est donum ministerij, si illud verum sit, Omnia præclara rara: neque enim omnes isti quos videmus statim sunt veri ministri. Hoc obseruo propter eos qui putant leue quiddam esse ministerio fungi. An tibi leue videtur, si sine

3. De S. ministerij & piorū ministrorum verbi Dei prę stantia.

Arg. à persona mittentis.

mandato principis legatione fungaris apud exteros? An igitur tibi leue videri debet, si sine mandato Dei fungaris legatione apud ecclesiam ipsius? Sed vt te relinquam tuæ vanitati, illud ego audeo affirmare nullum officium tanto cum periculo tentari, quanto ministerium verbi diuini.

A ministerij huius natura

Ministerij ecclesiastici dono proposito de eiusdem fine & vsu disserit. 1. Ecclesiæ ædificatio

Ad coagmentationem sanctorum. Declarantur finibus & vsibus suis hi ordines ministerij, quorum primus est ædificatio Ecclesiæ. Sensus itaque verborum est, Christus dedit alios Apostolos, alios Prophetas &c. in eum finem vt ædificetur Ecclesia. Ædificatio hæc amplificatur tribus loquendi generibus, quæ tamen idem omnia significant. Primum dicitur coagmentatio. 2. opus ministerij. 3. ædificatio corporis Christi. Res eadem his tribus modis designatur. Causa autem varietatis hęc est: Tria omnino genera hominum sunt, qui habent partes suas in ista ędificatione. 1. Sunt ipsi sancti qui tanquam viui lapides coagmentantur in vnam mentem & sententiam, vt dicitur 1. Cor. 1. 10. quo loco etiam est idem hoc vocabulum coagmentationis. 2. Sunt Ministri verbi quorum respectu dicitur opus ministerij. nempe pręclarum illud opus, de quo 1. Tim. 3. 1. Si quis episcopatum appetit, præclarum opus desiderat. 3. Est ipse

Aedificatio hæc autem triplex nomen sortitur.

1. Respectu piorum.

2. Ministrorũ

3. Ipsius Christi.

Christus cuius respectu, dicitur ædificatio corporis Christi.

Obs.1. Dicitur hîc dedisse Christus ministerium verbi ad ædificationem tãquam finem. Ergo ædificatio efficax est certa nota legitimæ vocationis & ministerij à Christo dati. 2. Si ædificatio sit ministerij à Christo dati effectus, Síque ædificatio non sit, nisi per verbum Dei: nam alioquin non datur spiritus (de ordinaria ratione loquor) nisi verbi ministerio: Sequitur profectò non esse legitimum, & à Deo datum inter homines ministerium aliud, quàm ministerium verbi Dei. Viderint hoc ministri põtificij cum suis inuentis & ementitis traditionibus, qui de suo ministerio tantopere gloriantur. Nostrum autem in quo nihil ministratur nisi ipsissimum Dei verbum, tanquam illegitimum damnãt. 3. Tria sunt hîc, coagmentatio sanctorum, opus ministerij, ædificatio corporis Christi, quæ hoc modo sunt inter se affecta. Opus Ministerij inseruit coagmentationi sanctorum, coagmentatio inseruit ædificationi corporis Christi. Id nimirum est, quod habes 1. Cor. 3. 22. Omnia vestra sunt, inquit, siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, vos autem estis Christi, Christus autem Dei. Hinc discimus ministerium verbi tantum esse famu-

Doctrinæ.

1. De legitime vocationis nota.

2. De ministerij verbi Dei legitima ratione & administratione, aduer. inanem Pontificiorum iactantiam.

3. De ministrorum seu seruorum ecclesiasticorũ onere, nõ honore terreno aduer. pseud episcoporum & mercenariorum superbiam.

litium in Ecclesia, Christi vero solius dominium. Nam hoc discriminis statuo inter politiam & Ecclesiam: hominis authoritas est & imperium in politiam, nullius hominis sed solius Christi authoritas & imperium est in Ecclesiam, hoc est in hominũ conscientias. 4. Etsi quidem opus ministerij dicatur etiam tum, cùm pauci admodũ ædificantur, ministro interea bona fide fũcto officio suo: (Christi; inquit, Paul. 1. Cor. 2. 15. bona fragrantia sumus Deo in iis qui seruantur & in iis qui pereunt.) tamen tũ demum opus ministerij maximè dicẽdum est, cùm ministerium secuta est ædificatio, quæ hoc loco nomine operis propriè dicitur, & tum demum potissimùm gloriari potest fidelis minister verbi, cùm sentit se nõ frustrà cucurrisse nec in vanum laborasse, Philip. 2. 16.

4. De gloriatione piorum verbi Dei ministrorum.

Donec euadamus. Hic secundus est finis dati à Christo ministerij, perfectio nimirũ ecclesiæ. Sententia itaque verborum est. Dedit Christus ministerium verbi ad hoc primùm, vt ædificetur ecclesia, qui prior est finis: deinde vt perficiatur absoluta iam ædificatione, qui posterior est finis. Perfectionis hîc sunt duo gradus. Prior est, coniunctio facta per fidem communem, quæ in hac vita obtinetur. Nam tantum in hac vita

Secundus finis ministerij. Ecclesiæ perfectio.

Huius perfectionis duo gradus.

vita fide pendemus à promissionibus. Posterior est, vir perfectus, qui continget in altera vita, tum nimirùm cum præsentes coniungemur cum præsente capite nostro Christo.

Prior gradus exprimitur his verbis, *donec eundamus*. Per vnitatem fidei intelligo coniunctioné illam per fidem factam. Ná fidei vnius & communis ea vis est, vt coniungat inter se animos hominum. Vnde supra hoc capite ab vnitate fidei argumentatus est ad vnitatem spiritus. Adiungit fidei iam quandam descriptionem. Primum, agnitionem eam appellat ἐπίγνωσιν: propter approbationem illam & assensionem quæ est in fide. Nam fides non tãtùm est γνῶσις, sed & ἐπίγνωσις, hoc est, approbatio vel assensio, eáque non generalis tantũ, sed multò magis specialis, qua quis agnoscit suum esse quod promittitur. Agnitionem hanc deinde filij Dei vocat: Nam illa demum vera fides est quę ita occupatur in Christo cognoscendo, vt nihil præter eum sciat, nec scire appetat. Siquidem quicquid est extra Christum, id omne damnosum est, & exitiale. Huius fidei exemplum habes in Apostolo nostro, 1. Cor. 2. 2. Non enim decreuerim, inquit, quicquam scire inter vos, nisi Iesum Christum, eúmque crucifixum: & in

Prioris declaratio.

Fidei vnitas.

Descriptio.

Scopus.

Exemplum.

eandem sentētiam ad Philip.3.8. loquitur. Quin etiam certè duco omnia damnum esse propter eminentiam cognitionis Iesu Christi Domini mei: propter quem omnibus istis meipsum multaui, eáque pro stercoribus duco, vt Christum lucrifaciam.

Posterioris gradus declaratio.

Posterior gradus perfectionis est his verbis: vt *euadamus* inquit, *in virum perfectum*. In Scriptura, Ecclesia exprimitur hominis nomine, c.2. huius Ep. Vt conderet ex duobus illis vnum nouum hominem in semet ipso, faciens pacem. Nunc vero differentia

Ecclesiæ ætates.

quæ in hominem cadunt, Ecclesiæ tāquam homini tribuuntur. Infantia propter ignorantiam: adolescentia propter progressum quem facit in cognitione: virilis ætas, propter perfectionē cognitionis & donorum Heb.5.&6.ca. Infantia & perfecta ętas tri

Infantia, nēpe, adolescētia, & virilitas, seu ætas perfecta.

buuntur Ecclesiæ. 1.Cor.13.11. Cum infans essem, inquit, vt infans loquebar, vt infans cogitabam, vt infans sentiebam: sed posteaquam vir sum factus, aboleui quæ infantis erant. Hoc & seq. duobus vers. videbis: Ecclesiæ attributas easdem has differentias hoc vers. perfectam & virilem ætatem, sequenti infantiam: vers. 15. adolescentiam. Post perfectam illam ætatem, senescentem

Nulla autē senectus.

& declinantem Ecclesiæ tributam nullo loco videbis. Quia vbi semel attigerit ear

perfectionem: in beato illo statu perfectio nis sine vlla permutatione, & vicissitudine in æternitatem omnem permanebit. Adiicit huic perfecto viro descriptionem quandam suam. Perfectio huius viri consistit in ea mēsura ætatis, qua completur ipse Christus. Nam Ecclesiæ perfectio non est alia, quam perfectio ipsius Christi, id quod hoc sumpto principio intelligemus facilius. Cap. 1. Huius Epist. vers. 23. dicitur Ecclesia corpus Christi & complementum eius, qui omnia implet in omnibus. Is enim est Christi erga Ecclesiam suam amor, vt licet ipse impleat eam gratia & donis suis: tamen se mutilum quasi caput existimet, nisi coniunctam sibi habeat Ecclesiam tanquam corpus suum. Hoc cum ita sit, profectò quamdiu Ecclesia est imperfecta, tandiu Christus ipse quo ad corpus suum, est imperfectus. Vbi Ecclesia iam perfecta erit, perficietur eadem opera etiam Christus. Meritò itaque perfectum hunc virum, id est, virilem ætatem Ecclesiæ, definit per mensuram eam ætatis, qua completur & perficitur ipse Christus. Nam cū Christus perficietur corpore suo, hoc est, complemento, (vt dicitur cap. 1.) sibi tanquam capiti vnito, tum quidem vna eadémq; opera Ecclesia perficietur capitis sui beata illa

Perfectæ ætatis descriptio

Descriptiōis explicatio.

Cōclusio explicationis.

Doctrinæ. præſentia. Hæc hactenus de his gradibus,

1. De perfectione miniſterii Euangelici, aduer. Libertinos & Traditionarios.

Obſ. 1. Datum eſt, inquit, miniſterium verbi ad ædificationem Eccleſiæ: tantiſper dum euadat ad perfectionem. Perfectio autem hæc ſumma non eſt futura in hac vita: Ergo Miniſterium Euangelii non eſt quaſi pędagogus ad aliam doctrinam reſpiciens, vt Paul. Gal 3, 24. de Lege diſputat, quam dicit pædagogum noſtrum fuiſſe in Chriſtum reſpicientē. vt ex fide iuſtificaremur: ſed perfectiſſimum eſt miniſterium, quo perfectius expectari non debet, quicquid de reuelationibus ſuis garriant ſpiritus illi phanatici.

2. De fidei dono ſolicitè expetendo.

2. Primum gradum perfectionis noſtræ tribuit fidei. Nulla eſt igitur perfectio in hac vita ſine fide. Primum igitur & ante omnia quærenda eſt fides. Multa ſunt illa quæ Chriſtiano homini neceſſaria ſunt ad ſalutem, Chriſtus ipſe, Iuſtitia, regeneratio, Chriſtianæ virtutes omnes, in primis verò charitas, opera deniq; bona, tanquam priorum effecta. Compendium horum omnium eſt fides, quam ſi habeas, habes Chriſtum, ſi Chriſt ū habeas, habes omnia alia, Iuſtitiā, regenerationis ſpiritum, &c. Qui tradidit Chriſtum pro nobis, quî nō etiam cum eo nobis omnia gratificabitur? Rurſus

In fide adoleſcendum indies.

igitur dico ante omnia quærendam eſſe fidem, & vt in ea indies magis magiſq; ado-

lescamus. Pessimè enim videtur mihi ille subducere rationes suas, qui non maiorem aliquem fidei profectum sentit in sese hoc anno, quā sensit superiori. Lucratus sit totum mundum, si hoc intereà non sentiat, se propinquiorem factum Christo nūc, quam anteà, nihil profecit. 3. Obseruandi hîc sunt gradus quidam causarū & effectorum. Primùm est ministerium verbi, ipsum sequitur ędificatio. hinc coniunctio fidei, quę est perfectio nostra in hac vita, postremò est vir perfectus. Summum hunc gradum, vt pote in quo sit solidum gaudium, omnes appetimus: sed in primis illis gradibus, per quos ascendimus in hac vita ad summum illum, pertranseundis, omne tædium est, quia cum multis difficultatibus coniuncti sunt. Verum annon vt ad virilem ætatem peruenias, omnes difficultates infantię primùm, deinde pueritiæ, postremò adolescentiæ pertranseundæ tibi sunt, & deuorandę? Ita est profectò. Ita etiam hîc oportet fieri, si enim hos gradus medios neglexerimus, nūquam profectò summam eam perfectionem consequemur. Viderint hoc illi qui spretis hisce mediis, cælos tamen & perfectionem illam somniant.

3. De obedientia piorū, de patientia & humilitate sub cruce & omnib. vitæ huius ærumnis, vt ad perfectam illam ætatem perueniamus.

14 *Vt ne simus amplius pueri, qui fluctuamus & circumferamur quouis vento doctrina,*

in hominum alea, per veteratoriam ad insidiose fallendum versutiam.

15 *Sed veritatem sectantes cum charitate, prorsus adolescamus in eum per omnia qui est caput, nempe, Christus.*

16 *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusque membri, incrementum capit corpori conueniens, ad sui ipsius extructionem per charitatem.*

Ministerium Ecclesiasticũ subsequitur tanquam fructus piorum obedientia & officium.

Vt ne simus. Subiungit officium nostrum præcedenti illi facto Christi in dando ministerio, ídque in duplicem illum finem, de quo vtroque iam diximus. Subiungitur autem officium illud tanquam fructus qui sequi debet ex ministerio, eiúsque duplici fine, Officij nostri partes duæ ponuntur, vna ne incõstanter nos geramus in fide hoc versu: altera, vt veritatẽ sectantes cum charitate adolescamus in Christum. Nam hoc quod dicit (vt ne simus, &c.) videtur referendum ad vers. 11. præced vt sit sensus, dedit igitur ipse, &c. Vt ne simus, &c. Quod ad priorem officij partem, primùm proponitur per similitudinem inconstantis pueri: deinde explicatur. Propositio est his verbis: *Vt ne simus amplius pueri.* quid autem

Cuius duæ partes.

Constantia. Fidei & operum incremẽta.

Constantiæ explicatio, per similitudinem inconstantis pueri.

hoc fit, declaratur verbis seq. quorum sensus est, ne inconstanter nos geramus in fide. Hæc sentẽtia non est expressa oratione propria sed allegorica. Allegoria autem à nauibus petita est quæ vt in mari fluctuant & circumaguntur vi ventorum, ita etiam qui pueri sunt & non satis fundati & firmi in fide, doctrinis hominũ, tanquam ventis contrariis huc illuc agitati fluctuant quasi & vacillant. Huius rei afferũtur causæ duæ, quarum vna est in nobis, altera extra nos: in nobis causa est, varium & inconstans ingenium omnium hominum per naturam. Hęc causa proprio verbo non exprimitur, sed metaphora sumpta ab alea, vel aleę iactu: Quemadmodum enim alea vel aleæ iactus inconstans est & incertus, ita est ingenium omnium hominum per naturam. Extra nos causa est versutia ad μεθοδείαν, hoc est, occultam & fraudulentam circumuentionem deceptionis, hoc est quę decipit homines: hęc est illa versutia impostorum, qui benè comparati & instructi ad fallendum accedunt. Hactenus de prima officij parte.

Et per allegoriam, seu iteratam similitudinẽ à nauib. petitam.

Ratio similitudinis prioris, à causa interna, quæ aleatorum aptissima comparatione illustratur.

A causa item externa, nempe impostorum versutia.

Obs. 1. Cùm datum sit ministerium ad ędificationem & perfectionẽ nostri, requiritur in nobis tanquam iustus fructus ministerij, dati in fines illos precedentes, ne in-

Doctrinæ, in 1. officij nostri partem.

1. De necessitate S. ministerij.

constanter nos geramus in fide. Nota igitur nihil esse tam validum aduersus hæreses & falsas doctrinas, nihil tam efficax ad continendum nos in vera fide, quàm ministerium & ministros verbi. Quod cum intellexerunt ex hoc loco pontificij, arripuerunt occasionem gloriandi de vanitatibus & mendaciis suis (quæ omnia veritatis nomine illi appellant) propter præclaram illam, scilicet, successionem Episcoporum suorum. Sed vt credā huic veritati, necesse est prius probent mihi Episcopos illos à Deo datos esse, vt olim Apostoli, Euangelistæ cæterique à Christo dati sunt, & hodierno etiam die pastores & doctores quorum ministerio continemur in vera fide à Deo mittuntur. Quod cum non possunt facere, profectò nunquam persuadebunt mihi veritatem suam. 2. Duæ sunt hîc causæ fluctuandi in fide, altera in nobis, inconstantia & peruersitas naturæ nostræ: altera extra nos, versutia impostorum. Ex his causis, vel illa quæ in nobis est satis efficax est alioqui per se, ad omnes hæreses & idololatriam. Si accedat deinde altera illa, dicto citius quasi turbine acti abripiuntur homines in omnes errores. Consideratis igitur hisce duabus causis nihil commoueamur inspecta ista mundi vniuersali apostasia.

Adu. hæreses

Adu. laruam pontificiam de inani successione personali.

2. De perseuerantia in Euangelij professione.

Adu. vniuersalem mundi apostasiam.

Dicam profectò quod magis admiremur, nempe, vnius hominis conuersionem. Magis enim mirandum nobis est, cum videmus vnum aliquem conuerti ad Deum, ac seruari, quam cum videmus mille deficere à Deo & consectari hæreses. Danda igitur nobis opera est, ne pueri inueniamur in hac instabili natura nostra, ita enim fiet, vt sub ingressis illis impostoribus citissimè auferamus falsæ doctrinæ quasi vento.

Cui opponẽda electorum aliquot conuersio.

Sed veritatem. Altera pars officij nostri, cuius sensus est, vt fundati quasi in veritate & charitate adolescamus, tantisper dũ occurramus capiti nostro Christo: In verbis tria sunt speciatim examinãda. Primùm habemus duas quasi radices ex quibus nobis exurgendum est: sunt autẽ illæ, primùm veritas eiúsque cognitio, sed non nuda, verum per charitatem operans: vnde etiam hoc loco associat sibi alterã radicem, nempe, charitatem. Deinde habemus modum accrescẽdi. Accretio naturalis tum demum perfecta est cum quoquo versum dilatatur corpus, in longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Ita etiam debet accretio ista spiritualis esse in omnem quasi partem. Tertiò est ipsum fastigiũ & caput ad quod nobis assurgendũ est. Caput autem est Christus, qui est caput super omnia ipsi ecclesię

Fidei & operũ bonorum incrementa.

Adolescere enim iubemur.

In veritatis cognitione.

in charitate.

Modus istius adolescentiæ spiritualis.

Doctrinæ. De hominis Christiani perfectione.

Hîc primùm obserua, principium, medium, & finem, siue perfectionem Christiani hominis. Principium duplex est: veritas & charitas, medium est accretio quasi & progressus in veritate & charitate. Necesse est enim vel crescamus vel putrescamus, atque ita vt inutiles surculi amputemur ab hisce radicibus. Finis & perfectio est Christus, caput nostrum.

2. De Ministrorum Ecclesiæ officio.

2. Laudabile est in pastore, cùm non tantùm verbo, sed etiam exemplo vitæ suæ nos docet. Huius officij, cuius eos admonet hoc loco Apost. habes experientiam in persona ipsius, Philip. 3. 13. 14. Primùm enim Apostolus agnoscit se nondum perfectum: Fratres, inquit, ego meipsum nondum arbitror metam apprehendisse. Sic nos de nobis ipsi debemus sentire. Neque enim adhuc quisquam nostrûm perfectus est. Tum addit: Vnum autem ago, ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens, ad ea verò quæ à fronte sunt contendens, scopum versus feror. Quo loco habes non segnem, sed contentissimum cursum. Sic & nobis summa opera & indefesso cursu contendendum est ad perfectionem & metam exemplo Apostoli.

Quib. præit suo exemplo Paulus.

3. De quadruplici discrimine superstitiosorũ & Christianorũ hominum.

3. Habes toto hoc loco oppositionem hominum leuiculorum & verorum Christi membrorum. Discrimina quatuor licet no

tare. Primum est in doctoribus: Illi doctores habēt versutos impostores: hi à Christo datos Apostolos, Prophetas, Pastores & Doctores. Secundum discrimen est in doctrina. Illi imbibunt duntaxat ventum, nihil autem solidæ doctrinæ: instabiles enim animæ instabili vento quasi aluntur. Hi vero recipiunt in se veritatem Dei. Tertium discrimen est in progressu ipso. Illi dum fluctuant crescere non possunt. Semper discunt, inquit Apost. alibi, sed nunquam perueniunt ad veritatis cognitionem? Hi augescunt in omnē partem. Quartum discrimen est in fine & perfectione. Illi dum nō crescunt nunquam ad perfectionem veniunt. nisi hunc dicas finem & perfectionem quod fluctuantes tandem allidantur ad scopulos hęreseωn & pereant: hi cum crescāt, tandem ad Christum caput suum perueniunt, eóque perficiuntur: cui sit omnis gloria. Amen.

1.
2.
3.
4.

Hunc ego integrum locum, à vers. 13. ad vers. 16. dum diligentiùs considero, videor mihi posse eum fortasse paulò melius resoluere in hunc modum qui sequitur. *Donec euadamus*. Secūdus est finis dati à Christo ministerij, perfectio nimirum Ecclesiæ. Est autem ea vnio & coniūctio per fidem. *In virum perfectum*. Declaratio & quasi de

Breuior Analysis eorū quę de altero ministerij fine, nempe de perfectione Ecclesiæ, dicta sunt.

Propositio.

Eiusdem definitio.

finitio quædam superioris membri: nam euadere in vnitatem fidei, est euadere in virum perfectum, hoc est, perfectæ ætatis virum. *In mensuram.* Rursus definit quasi, & clarius exprimit proximum membrum: Nam euadere in virum perfectum, est euadere in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Mensura ætatis plenitudinis Christi est ea ætas in qua Christus omnia implet in omnibus: nam loquutio ista non passiuè accipienda est, sed actiuè, vt & illa cap. 2. 19. cuius interpretationẽ require ex cap. 1. 23. & 4. 10. *Vt ne simus amplius.* Rursus exponit quid sit euadere in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Cernitur autem in eo, ne simus amplius pueri (pueritiam opponit virili & perfectæ ętati) sed adolescamus secundum omnia, in eum, qui est caput, nempe, Christus. Ergo euadere in mensuram ętatis plenitudinis Christi, est adolescere & augeri secundum omnes quasi dimensiones, tantisper dum occurramus capiti, cumeóque plenè coniungamur. Mensura enim ætatis plenitudinis Christi, cernitur in plena illa coniunctione cum capite, quę vbi erit, tum Christus omnis implebit in omnibus, ac perficiet nos donis suis. *Qui fluctuemus.* Dissuadet pueritiam illam ab inconstãti ac instabili puerorum ingenio

Et clarior explicatio.

Explicationis illius expositio.

Complexio præcedentiũ dictorum.

Quæ illustrat apostolus illa simi

quod designat allegoria à nauibus sumpta. *Sed veritatem.* Modum quo accrescamus & adolescamus in caput nostrum Christum coniungit cum accretione ista. Modus est in sectando veritatem & charitatem, quæ duo quasi suppeditant materiam spiritua-li huic accretioni.

litudine & allegoria.

Ex quo totum. Quia proximè vocauit Christum caput, ideo hoc vers, illud declarat ex effectis, quæ exprimũtur verbis sumptis & translatis à naturali corpore, iisque rebus quæ à capite in corpus naturale deriuãtur. Quod cùm ita sit, vtamur similitudine naturalis corporis, eorúmq; effectuũ qui in illud cadunt, ad hanc rẽ illustrandam. Sententia igitur est: Quemadmodum naturale hominis caput ideo caput est, quod per ipsum hæc duo fiant in corpore, nempe, primùm virtute eius totum corpus coagmentatur & compingitur. Deinde virtute eiusdem corpus incrementũ capit in membris suis: Ita etiam cũ huiusmodi duo fiant suo quodam modo per Christũ in corpore hoc mystico, iure Christus est & dicitur caput. Nunc sigillatim videamus effecta, & verba ipsa. Priùs effectum est in his versis: *Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum, &c.* Verba omnia translata sunt à corpore naturali: Ideóque de iis quæ ca-

Adolescunt in fide & charitate fideles Christo coniuncti. Quod vt significet Paulus, Christum vocant caput, ex quo membra vim illam crescendi hauriunt. Hoc versu autem similitudinem illam declarans, ostendit quæ sint huius cõiunctionis effecta.

Prius effectũ.

dunt in corpus naturale primùm agemus. Corpus naturale non est vnum membrum sed multa sunt in eo membra. Membra hæc sustinentur fere totidem ossibus tanquam solidis partibus membrorum. Ossa diuersorum membrorum sic per articulos coniunguntur, vt vnius ossis extremitas, alterius quasi sinum & cauum ingrediatur. Vt autem sic copulata inter se contineantur arctiùs, & sit firma συναρθρωσις, circumiecta sunt valida quædam vincula cũ neruis iuncta. Similiter se habet res in Christi corpore. Nam corpus Christi mysticum non est vnum, sed multa sunt membra eiusquę singula suis animis sustinentur: animi diuersorum membrorum sic per articulos quasi compinguntur, vt vnius animus in alterius animũ sese quodammodo insinuet. Vt verò sit firma coniunctio accedunt quasi vincula quædam, quorum primum est vinculum Spiritus Christi, hinc alia propagantur vincula, vnius fidei vinculũ, & alia quę ab eodem hoc vinciendi munere, vincula dicuntur in scripturis, vt vinculum pacis, supra hoc cap. ver. 3. & vinculum illud perfectionis, charitas, Col. 3. 14. Iuncturas istas vocat subministrationis vel suppeditationis: quia, vt mihi videtur, ministrant illæ corpori coniungendo & compingendo:

Vt membra corporis ossibus sustinentur: ossa vero neruis alia aliis adhærẽt ita fit in corpore Christi quod est Ecclesia.

Quæ sit coniunctio membrorum Christi.

Vincula seu nerui.

Christi Spiritus.

Fides.

Pax.

Charitas.

quemadmodũ articuli ossium naturalium inseruiunt coniunctioni membrorum. Atque hæc de primo effecto.

Secundum effectum sequitur his verbis: *Ex vi intus agente pro mensura vniuscuiusque membri incrementum capit corpori:* quæ ita explicabo si pauca quædam de naturali corpore, à quo hæc translata sunt priùs dixero. In increméto corporis naturalis, hæc tria reperiuntur: primùm in singulis membris inest vis animæ quædã naturalis quæ facit vt quoquouersum dilatetur mẽbrum, in longum, in latum, in profundum. Deinde incrementũ membri non est supra modum, sed pro ratione naturæ, proprietatis, & functionis membri cuiusque: Manus enim, v.g. incrementum non est in immensum, sed analogum naturæ & functioni illius membri. Postremò etsi augeatur etiam ipsum membrum, tamen incrementum dicitur propriè totius corporis, quia vnius corporis membra sunt omnia, in quo maximè conspicitur accretio. Eadem hæc tria suo quodam modo habes hîc attributa corpori mystico. Primùm est vis quædam efficax Spiritus Christi capitis in singulis mẽbris, qua dilatãtur ea quasi quoquouersum, in lõgitudinem, latitudinem, & profunditatem. Deinde incrementum membri cu-

Secundum effectum.

Vt in corporis incremento, apparet dilatatio, proportio, totius corporis accretio: ita fit in corpore mystico Christi.

Quæ sit huius dilatatio.

Symmetria. iusque non superst omnem modum, sed, vt habes in textu est pro mensura vniuscuiusque membri, hoc est, pro ratione doni à Christo capite dati. Postremò etsi incrementum sit etiam ipsius membri, tamē totius corporis propriè censetur, quia membra omnia coeunt in vnum corpus. Vinculum autem commune omnib. est charitas: idcóque dicitur, *Ad suiipsius extructionem per charitatem.* Nimirum quia charitas vinculum est coniungens in vnum corpus omnia pariter membra. Hæc hactenus.

Totius corporis accretio.

Vinculum commune.

Doctrinæ.

Obs. 1. Dictum est suprà vnicuique datam esse gratiam pro mensura doni Christi, nunc dicitur in secundo illo effecto capitis Christi, incrementum capere vnusquisque pro ratione illius doni. Hinc discimus non esse incrementum vniuscuiusq; membri secundum omnia simul dona, sed secundum illud nominatim, quod datum est vnicuique: v.g. non capit incrementum manus in dono pedis, quod est ad ambulandum, sed in dono manus, quod est ad apprehendēdū. Quare, vt rectè monet Apost. Rom. 12.6.& seq Si accepisti donum Prophetiæ, prophetato pro portione fidei vt augearis in eo. Si ministerii, ministrato vt augearis in eo: Si doctrinæ, doceto vt augearis in eo: Si exhortationis, exhortator vt augearis in eo.

De incremento donorum, pro ratione vocationis.

Ne quis superbiat vel officium negligat aut desefrat.

o. Illud autem ſciendum eſt incrementum
oni cuiuſque fieri per ſincerum ac diligen
em ipſius vſum. Si acceptum talentum ab
condas neq; eo vtaris, non augebitur pro-
ectò: præſtitiſſet nunquam accepiſſe, aufe-
etur enim à te, & dabitur alteri. 2. Vnius a-
icuius membri incrementum hoc ſpiritu-
le, cenſetur totius corporis, idq; quia col
igata ſunt omnia ſimul membra in vnum
orpus, eiq; inſeruiunt: ligamentum autem
ſt charitas. Obſerua igitur, ſi non habeas
haritatē, non es membrum: ſi non ſis mem
rum, etſi hoc detur, te incrementum ali-
uod capere, tamen nihil auges commune
orpus. Sed qui potes incremētum capere,
um incrementum propriè ſit virtute capi
; Chriſti: virtus autem capitis non ad alia
uam ad communis corporis membra ſe
ffundat? Si videaris tibi per te creſcere
e corpore, fallis te: non enim eſt hoc ni-
nflatio quædam: Nam, vt Paul. loquitur
Cor. 8. 1. Scientia ſine charitate inflat. Id
o audeo affirmare, ſi quis mediocri tan-
n dono præditus ſit cum charitate, qua
id applicet ad vſum communis corpo-
affirmo, inquam, eum hominem magis
gere commune corpus, magíſque in eo
ſcere, quam eum qui omnia ſemel ani-
compleĉtatur ſine charitate.

Sed iudiciuṁ Dei metuat.

2. De charitatis neceſsitate.

Aduerſus hypocritas iuſtitiarios.

Aduerſ. eos qui ob dona ſuperbiunt, ædificationis ſuæ & aliorū contēptores.

17 *Hoc itaq; dico & obtestor, per Dominum,*
ne amplius versemini sicut reliquæ gentes
versantur in vanitate mentis suæ.
18 *Cogitationem habentes obscuratam & ab-*
alienatam à vita Dei, propter ignorantiam
quæ est in ipsis ex obduratione cordis corũ.
19 *Qui posteaquam dedoluerunt, semetipsos*
dediderunt proteruiæ ad certatim patran-
dam impuritatem omnem.

III. Postrema capitis pars, exhortatoria, ad vitam rectè instituendam.

Hoc itaque dico. Redit ad pręcepta morum: hoc itaque loco hortatur in genere ne versentur vt reliquæ gentes versantur. Res ipsa ad quam hortatur comparatione ista gentium innuitur, quarum conuersatio statim describitur per vanitatem mentis. Ergo sententia hortationis hæc est: Ne versemini in vanitate mentis vestræ. Vt autem exhortatio magis moueat; illustrat eam graui obtestatione, facta per Dominũ Iesum, ea re significans eis futurum vt si contemnant admonitionẽ hanc reddant rationem Domino. Nomine *vanitatis* hoc loco intelligo offensas & peccata in quibus versabantur gentes. Eph. 2. 2. Petrus 1. Epist. 1. 18 vanam conuersationẽ appellat, quam postea describit cap. 4. 3. Peccatum igitur vanitas est. Illud vanũ dicitur propriè quod frustrà & ob nullum finem geritur, quodque

Sententia huius exhortationis, quæ graui obtestatione illustratur.

Ea est, ne amplius versemini vt Gentes.

Quæ in vanitate mentis suæ incedũt,

nullus vnquam fructus cõsequitur. Si quid aliud tale sit, profectò peccatum maximè tale est. Paulus Rom. 6. 21. vrget finem peccati, si quem habeat. Quem igitur fructum habebatis tunc ex iis, de quibus nunc erubescitis? Tum fructum subnectit, si modo fructus dici possit. Nam, inquit, finis illorum mors est. Ergo merito peccatum vanitatis nomine intelligendum est. Appellat *vanitatem mentis*: Principi facultati peccata ascribit, quam Philosophi (quos etiam secuti sunt Papistæ) reginam, scilicet, dixerunt, cùm tamen peccati serua sit abiectissima.

Nempe iis peccatis, quę mentis vanitas meritò appellantur.

Obs. 1. Quos priùs membris Christi capitis adnumerauit, eos nunc hortatur ne vertantur, vt reliquæ gentes. Postquam exēpti sumus à communi naturæ pollutione & Christo inserti, etiam tum egemus exhortationibus & admonitionibus depromptis ex verbo Dei, vt perstemus in gratia, alioqui, quæ est naturæ nostræ prauitas, mox lapsuri, Populus Israeliticus eductus ex Ægypto, statim de reditu cogitabat. Beati sunt qui verbi Dei efficacia in via continētur. Virga tua, inquit Dauid Psal. 23. 4. & pedum tuum ipsa me consolantur, hoc est, ductus Spiritus tui, quasi virga me agit, & quasi pedo inhibet: ideóque in te securus sum:

Doctrinæ, 1. De necessitate exhortationum & admonitionũ in Ecclesia.

Exemplum.

Testimoniũ.

2. De effectu Spiritus regenerationis in electis Dei.

2. Quo tempore proponit Ephesiis exemplum gentium fugiendum? Nimirum, postea quam iam facti sunt membra corporis Christi. Tum demùm aspectus peccati nos mouet ad detestationem ipsius cùm regenerati sumus per Spiritum Christi. Ante illud tempus quantò magis aspicimus peccatum, quantò magis audimus aliquid de eo, tantò magis eo delectamur. Non regeneratus nisi aliqua alia vi maiori à Deo profecta cohibeatur, si videat furem, eum sequitur: si videat homicidam, eum sequitur: si videat adulterum, eum sequitur. In causa est quod non sit prędítus eo oculo, nempe Dei Spiritu, quo videre possit peccatum quale sit suapte natura. O fœlices illos, qui cum aut vident peccantes in Deum, aut de his audiunt, mouentur serio peccati sensu & odio: caro enim & sanguis non reuelant istud, sed sanctus Dei Spiritus. 3. Ex omnib. vanitatibus, quæ plurimæ sunt in hoc mũdo, præcipua vanitas est peccatum. Si quis instituat aliquid agere, síque, postquam se multum diúque fatigauit, nullum ex actione sua fructũ percipiat, is iam queritur se in vanum laborasse. Si verò sese fatigando perniciem sibi accersat, tum multò magis queritur de facti sui vanitate. Nam extremæ est dementiæ sese fatigãdo nihil aliud

amplificatio ab oppositis.

A fructu huius effectus.

3. De peccati vanitate, omnium vanissima.

Ea pernicio-sissima, vt

nisi damnum quærere. At dicit Apost. peccati finem mortem esse. Ergo omnium vanitatum vanissima vanitas est peccatum. — quæ mortem æternam pariat.

Cogitationem habentes obtenebratam. Immoratur in hac vanitate gentium explicanda, eámque demonstrat à causis & fundamentis illis vnde processerit. Causæ ponũtur duæ: prima est mentis corruptio hoc versu, secunda est amissio doloris ac stimuli conscientiæ, sequenti. Ex his exurgit proteruia illa, &, vt semel dicam, omnis mala & vana conuersario. Quod ad primam causam, nempe, mentis corruptionem: in duobus eam collocat, primùm in presentia mali, nempe, tenebrarum: Deinde in absentia boni, nempe, vitæ Dei. — Huius vanitatis explicatio. — Causæ duæ. — 1. Mentis corruptio, quæ collocatur — In præsentia mali. — In absentia boni.

Primum est his verbis, *Cogitationem habentes obtenebratam:* vel posteaquam cogitatio eorum fuit obtenebrata. Tenebras has mentis ita explicamus. Homo creatus est ad imaginem Dei, in iustitia & sanctitate vera, vt est postea hoc cap. 24. In agnitione, vt est Col. 3. 10. Agnitio hæc fuit instar lucis cuiusdam clarissimæ in mente primi hominis. At postquam homo per peccatum à Deo separatus est, etsi quidem ineffabili Dei misericordia & sapientissimo ipsius consilio, remanserant in hominis mente notiones aliquot paucæ rerum bonarum — Malum istud, quid sit, nempe *tenebræ* mẽtis. — Prima mentis humanæ obtenebratio.

& malarum, quæ ad Deum & hominem pertinerent: tamen & maxima ex parte notiones illæ de Deo ex mẽte deletę ſunt, vt reliqua fuerit tãtum ſcintilla quaſi lucis illius primæuæ: & quæ relictæ ſunt notiones miſerè obſcuratæ ſunt. Atque hæc eſt prima illa obtenebratio mentis humanæ. Accedit ad hãc & altera. Manſerunt, vt dixi, poſt lapſum aliquæ ſcintillæ & notiones aliquæ, ſed obſcuratæ: nunc verò ea peruerſitas & obſtinatio eſt cordis humani, hoc eſt, voluntatis & affectuum in corde, vt reliquiis illis pertinaciter reſiſtat: procurétque iuſto Dei iudicio, vt hæ reliquiæ è mẽte ſemel & ſimul auferantur. Sublatis iis ſuccedunt meræ tenebrę. Nam ſi oculus obtenebratus fuerit, inquit Chriſtus, quãtæ ſunt tenebrę? Atque hæc eſt ſecunda illa obſcuratio mentis humanę: de qua fuſius poſteà. Vtroque hoc modo obtenebrata erat mens gentium: nam prętérquam quod illis tenebris quæ naturales erant, obſcurata erat gentium mens, etiam ſibiipſis obſtinatione & peruerſitate cordis ſui, tenebras vltro acceſſiuerunt, reſiſtendo reliquiis illis notitiæ Dei, quæ in natura reliquęerãt.

Altera.

Applicatio ad Gentes.

Et abalienatam. Hoc eſt ſecundum illud in quo conſiſtit mentis obſcuratio, nempe abſentia vitę Dei. Vita hominis duplex eſt,

Bonũ autem, ab obſcuratione mentis depulſum, eſt vita Dei.

partim naturalis, partim ſpiritualis. Naturalis eſt vita illa quam habemus per primã generationem in Adamo, nihílque aliud eſt quã functio animæ naturalis in mouendo, ſentiendo, ratiocinando: de hac dicitur Act. 17. 28. Per ipſum enim viuimus, mouemur, & ſumus. Vita ſpiritualis, eſt illa quã habemus per ſecundam generationem in Chriſto, nihílque aliud eſt quam motus & actio Spiritus S. qui hominis regenerati eſt quaſi anima: atq; hæc eſt illa vita quæ hoc loco dicitur vita Dei. Et 1. Cor. 4. 11. vita Ieſu. Copioſe deſcribitur Gal. 2. 20. Ego, inquit, cum Chriſto crucifixus ſum (neceſſe eſt enim crucifigatur vita prior quoad corruptionem, prius quam accipiamus hanc vitam alteram) tum additur: Nũc autem non amplius viuo ego, ſed viuit in me Chriſtus. Poſteà vitam illam Chriſti, quam ſenſit in ſe, quaſi definit ex cauſa ſua, nempe, fide, quæ facit vt etiam in carne iſta & mortali corpore viuat hanc vitam ſpiritualem: Et vitam, inquit, quam nunc viuo in carne, viuo per fidem Filij Dei qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me. Hæc vita Dei inchoata hîc, non niſi in altero ſęculo perficietur: vnde dicitur Coloſ. 3. 3. Vita noſtra abſcondita cum Chriſto in Deo.

De duplici vita hominis, nempe, naturali & ſpirituali.

Vita Dei, quid hoc loco.

Vita Chriſti in electis.

Hic inchoata, & in altero ſeculo perfecta.

Propter ignorantiam. Corruptionis huius

Obtenebra-

tionis illius causa.

causam affert ignorantiam, densa enim ignorantiæ nubes incumbens menti, ipsam obtenebrat adeo vt nihil loci relinquat vitæ Dei. Hęc est illa ignorantia Dei, de qua 1. Thes. 4.5. Sicut gentesquę non nouerunt Deum. Vt autem apertiùs dicam, hæc est illa ignorantia eorum quæ ad regnum Dei attinent, qua ita occæcatur mens, vt non modò non possit ea intelligere, sed etiam pro stultitia ducat, 1. Cor. 2.14. *Ex obduratione.* Resoluit rursus ignorantiam in suam causam superiorem, eam appellat obdurationem cordis. Duę sunt causę ignorantię, vt supra dictum est in explicatione obscurationis mentis: altera est lapsus hominis, altera peruersitas cordis. Prætermissa illa priori causa posteriorem nominat, vt videamus hanc ignorantiam gentium obstinatam fuisse. Paul. Rom 11. vbi de reprobatione, & obduratione Iudæorum agit, vtitur hoc ipso verbo semel vers. 7. atque iterum vers. 25. significátque duritiem eam quæ est calli: quare duritiem mortuam & sensu carentem. Durities hæc est cordis, hoc est, voluntatis & affectuum, qui sunt in corde. Causa igitur ignorantiæ gentium est ista obduratio cordis. Quonam autē modo gignat ignorantiam attigi supra. Nunc explico paulò fusiùs. Dixi remanere in mente

Ignorantia Dei.

Cuius causa posterior, cordis dicitur obduratio.

Cuiusmodi sit illa obduratio.

Quo modo gignat ignorantiam.

hominis post lapsum, quasi obscuram quã dam scintillam cognitionis Dei. Hãc scintillam oppugnat vehementer peruersitas cordis, eáque re procurat à Deo vt auferatur quæ reliqua est scintilla è mente hominis. Sublata ea succedit in eius locum mera Dei ignorantia. Hunc modum inducendæ in mentem ignorantię his paucis complexus est Apost. Rom. 1. 28. Sicut visum est eis non retinere Deum in notitia, nempe, per obstinationem cordis: Ita tradidit eos Deus in mentem reprobam, hoc est, prorsus ignoram & iudicij omnis expertem, iam extincta etiam illa quasi reliqua scintilla.

Qui posteaquam dedoluerunt, semetipsos dediderũt proteruiæ ad certatim, Hoc est secundum fundamentum & causa vanitatis illius, procedens ex superiori. Eius explicationem paulò altiùs repeto. Conscientia est specialis scientia factorum nostrorũm, quæ bona sunt vel mala, quam habemus apud nos & in nobis. Vnde Conscientia dicta est quasi scientia quam nobiscum habemus. Specialis hæc scientia oritur ex generali notitia voluntatis diuinæ. Exempli gratia, Occidit quis hominem, scit apud semetipsum esse factum suum, & sibi conscius est mali alicuius perpetrati. Notitiã hanc specialem habet ex generali illa Legis notitia,

2. Altera causa vanitatis peccati, indolentia & stimuli conscientiæ. Quæ idcirco describitur.

Descriptiõis explicatio.

Conſcientiæ paradigma.

Ne occidito. Cóſcientia hæc eſt in animo noſtro quaſi teſtis quidam, neque ſemper eſt otioſa. Si quod rectum eſt quis fecit, excuſat: & cóſcientia bona appellatur. Sin fecit aliquis quod malum eſt, accuſat: & conſciẽtia mala vocatur. Si excuſet, oritur in corde lætitia, quod gaudium bonæ conſcientiæ nominat: ſin accuſet, oritur in corde dolor quidam, qui ſtimulus conſciẽtiæ vocatur. Hæc ſi inter ſe conferas, habes primùm generalem illam legis & voluntatis Dei notitiam, hanc ſequitur ſpecialis ſcientia facti, quæ conſcientia dicitur. Poſtremò ſi accuſet ac proinde mala ſit conſcientia, ſequitur in corde dolor. Itaque generalis notitia eſt cauſa conſcientiæ: Conſcientia cauſa doloris. Si tollas igitur generalem notitiam, auferes conſcientiam. Si tollas conſcientiam, tolles dolorem è corde. Atque hæc eſt illa vacuitas doloris, de qua hîc ſermo eſt, quęque ideo 1. Tim. 4. 2. comparatur ἀναισθησία, &, vt ita loquar, inſenſibilitati illi quæ ſolet eſſe carnis, poſtquam inuſta eſt cauterio. Hoc eſt igitur ſecundum fundamentum vanitatis Gentiũ quod oritur ex priori mentis corruptione. His fundamentis iam poſitis, redit ad vanitatem illam mentis, eámque vna ſpecie, quæ maximè frequens fuit inter Gentes,

Gradus.

Indolentia illa vnde.

Carnis cauterio reſectæ inſenſibilitatem refert.

Species vanitatis in mente incredulorum, proteruia,

proteruia, nempè, declarat. Proteruiam definit ab effecto suo: ad perpetrandam, inquit, omnem impuritatē & immunditiem, idq; certatim quasi de lucro ageretur. Quid autem hoc sit, perpetrare impuritatē, Paul. Rom. 1. 24. subiecta definitione declarat. Vt fœdarent, inquit, corpora sua inter se. Ab effectu suo definita.

Obs. 1. Vanitati gentiū fundamenta substernit corruptionem mentis & vacuitatē doloris cordis: discimus igitur peccatum non esse superficiarium quiddam, quod sit tantum vel in lingua, vel in manu, vel in oculo, &c. sed quod penitùs radices agat in animo, animíq; facultatibus, inprimis vero in mente, quam Reginam dixerunt Philosophi, à quibus non multum dissentiunt Papistæ: cum tamen nihil sit quam serua peccati. Actis iam radicib. in animo, erumpit deinde in hæc membra externa, quę totidem sunt quasi rami, ex quibus pullulant acerbi illi fructus actualium peccatorum. Ob hanc causam fit vt quoties scriptura vel reprehendit vel declarat peccatum, ab his fundamentis ipsum reuelet, id quod fecit etiam Paul. hoc loco. Hinc admonitio sit, Si velis exuere peccatum, ne sit satis tibi si externam actionem deponas, sed exscinde ipsum penitus à radice. Renouator spiritu mētis, vt loquitur Apost. Postea 23.

Doctrinæ. 1. De efficacia & sede peccati.

Adu. philos. & Pontific. errores.

Admonitio de eradicando peccato.

Ratio.

Nam si radix peccati hæserit in animo tuo, tota vita tua, vtcunque sancta videatur, erit tãtum hypocritica simulatio. 2. Corruptionem mentis resoluit in ignorantiam, ignorantiam resoluit in obdurationem cordis, rursus ex corruptione mentis deducit vacuitatem doloris conscientiæ, ex hac vacuitate postremò omnem vanitatem, præsertim autem proteruiam elicit. Hinc discimus, proximè secundum primæuum illum lapsum, causam omnis peccati & mali præcipuam esse obdurationẽ istam cordis, siue peruersitatem voluntatis & affectuum. Nam etsi mens sit corrupta & miserè obscurata, tamẽ illud certum esse experimur, melius videre mẽtem, quam possunt sequi aut exequi voluntas & affectus. *Video meliora, proboq́; deteriora sequor.* Quod si ita sit, petẽdum est imprimis à Deo serio affectu vt renouetur cor, vt cor iam renouatũ consentiat mẽti reformatæ, vt sic inter se cõspirantib. omnib. facultatib. animi nostri, producamus opera Deo placẽtia. 3. Vbi est impuritatis & peccati omne genus, ibi est doloris cõsciẽtiæ priuatio: rursus vbi priuatio doloris cõscientiæ, ibi ignoratio Dei. Nãex cognitione Dei est cõsciẽtia, ex cõscientia & sensu doloris auersatio peccati. Vnde verisimile est istos quos videmus prorũpere

2. De causa omnis peccati proximè secundum primæuum illũ lapsum.

3. De miserrima reproborum (quorum cõscientia cauterio resecta est) conditione. Deum enim

n omnia ſcelera, non ſentire cōſcientię do ores vllos, & quos videmus ſine cōſcietia ꝛſſe, certū eſt iſtos Deum verè non cognoſcere. Iactēt vt velint Dei notitiā, habeat n ore fidem & conuerſionem, nihil tamen ciunt vt oportet ſcire. Paul. 1. Cor. 3. arguit Corinthios carnales adhuc; hoc eſt, infātes n Chriſto, ex liuore, & contētione, & diſſi iis, quę erāt inter ipſos. Vbi. n. talia graſſantur, nō poſſum ego credere ibi vel conſcientiam vel verā Dei cognitionē habere ocum. Contra verò vbi parcius peccatur, dducor vt credam ibi locum eſſe aliquem onſcientiæ: & vbi conſcientia eſt, ibi eſſe liquam Dei notitiam. Vnde diſcimus hāc mprimis efficacē eſſe rationem continenorum hominum in officio, ne peccent in ꝛges, vel Dei vel hominū, ſi inſtituantur & ontineantur in vera Dei notitia. 4 Rom. 1. Theſ. 4. Col. 3. vbi agitur de peccatis gen um & earum vitiis, hoc imprimis memo tur impuritatis & proteruiæ vitium. Hoc oſito ſic progredior. Peccatum eſt pœna ꝛccati, & Deus impietatē in primam legis ab. vlciſci ſolet per iniuſtitiam in ij. legis bulā. Inter cęteras iniuſtitię partes quæ iam totidem pœnæ ſunt, impuritas iſta proteruia grauiſſima æſtimatur. Rationē uius rei reddit Paul. 1. Cor. 6. cętera omnia

neque cognoſcunt, neque amant, neque metuunt.

4 De tremenda Dei iuſtitia, impiorum peccata peccatis puniēte.

Impuritate præſertim & proteruia.

peccata quæ facit homo extra ipsum sunt, qui verò scortatur, in propriũ corpus peccat. Est grauissima hæc vlciscẽdi ratio, cũ Dei vice homo sese vlciscitur, & sibi quasi manus cõsciscit. Discant igitur scortatores isti & impuri homines primùm hanc suam impuritatem esse iustã Dei vltionem, qua compensat impietatem in ipsum Deum: deinde supplicium hoc esse multò gravius vel peste, vel gladio, à quibus illi tantoperè abhorrent, cum interea tam fœda impuritate delectentur. 5. Duplex est Dei notitia altera naturalis, altera ex verbo Dei: posterior priorem multis partibus superat. Grauiter tamen vltus est Deus gẽtes, quod naturali notitiæ restiterint cordis sui contumacia: tradidit enim eas in mentem reprobam, Rom. 1. 28. hinc amissa cõscientia, hinc proteruia ad certatim perpetrandam omnem impuritatem. Quam seuerè igitur vlciscetur Deus nostram contumaciam, si reluctemur luci huic tantę quã Dei ineffabili misericordia suppeditatã habemus ex ipsius verbo? Annon auferet eam tandẽ ex cordibus? qua semel ablata, annon amittemus conscientiam? qua amissa, annon necesse est nos præcipitari in scelera etiam grauiora, quam vnquam fuerunt illa gentium? Iustitiæ ratio hoc postulat. Gentes

Ad impuros admonitio.

5. De duplici notitia Dei, & quàm sint inexcusabiles pseudo Christiani.

Iustitiæ Dei in pseudo-Christianos ratio.

misericordiam olim consecutæ sunt: sed
quia locus misericordię esse potest nobis,
si vniuersalis fuerit defectio ab hac verita
te, quam Deus cum gentibus, cum maiori-
bus nostris non communicauit. 6. Videmus
gentium ignorantiam ex malitia esse & ob
durato corde, ex ignorãtia autem mentem
obscuratam, ex obscurata mẽte vacuitatẽ
doloris conscientiæ, ex hac rursus omne ge
nus peccati. Hinc discimus peccata quæ fa
cimus cum malitia coniuncta esse: sunt ex
ignorantia fateor, sed illa ignorantia sem-
per cum aliqua malitia coniuncta est.

6. De coniunctione malitiæ & ignorantię in peccatis.

o *Vos autem non ita didicistis Christum.*
I *Si modo eum audistis & per eum edocti fuistis, sicut est veritas in Iesu.*
2 *Nempe, deponere quod ad pristinam conuersationem attinet veterem illum hominem, qui deceptricibus cupiditatibus corrumpitur.*
3 *Renouari vero spiritu mentis vestræ,*
4 *Et induere nouum illum hominem, qui secundum Deum conditus est ad iustitiam & sanctimoniam veram.*

Vos autem non. Explicata vanitate gen-
tium, redit ad hortationem, & vnico argu
mento suadet ne ambulent ampliùs, vt gẽ-
tes, in vanitate mentis suæ. Argumentum

Redit ad exhortationẽ.

A Christi doctrina sumptam.

sumptum est à doctrina illa de Christo ex diametro pugnante cum huiusmodi conuersatione vana. *Vos non ita didicistis Christum.* Ergo ne amplius versemini sicut reliquæ gentes versantur in vanitate mentis suę. Sententia antecedentis hęc est, non instructi estis doctrina illa de Christo, vel Christi Euangelio ad hoc, vt versemini sicut reliquæ gentes. Ergo, &c. Nam, vt verba explicē, per Christum intelligo doctrinam de Christo Euāgelicam. Paul. 1. Thess. 4. 5. & 7. vbi dehortatur à conuersatione gentium, quæ non nouerunt Deum, simili planè argumento vtitur. Non enim, inquit, vocauit nos Deus ad impuritatem sed sanctificationem.

Hæc doctrina in Euang. cótinetur.

Doctrinæ, 1. De radice bon. operum.

Obs. 1. Vbi Christi cognitio est, ibi est conuersatio honesta. Contrarium sequitur ex contrario. Nihil de Christo didicit qui vita nihil differt ab infideli. Nam certum est mortificationem carnis à Christi vera cognitione separari non posse. 2. Opponit disciplinam Christi tanquam contrarium remedium miserę illi gentium conditioni. Obserua igitur: Omnium hominum conditio extra Christum similis est illi gentium conditioni. fieri quidem potest vt Deo eos refrænante non statim prorumpant aliqui in manifesta scelera. Sed illud certum est

2. De miserrima hominum cōditione extra Christum.

eos

os hydram illam,& radicem omnium sce ...erum in pectore clausam habere,quam e...iam regeniti ipsi non possunt dum hic vi...itur,totam semel euellere.Rom.7.18.No...i,inquit,Paulus iam regenitus,non habi...are in me,id est in carne mea,bonum.Sed ...em tamen postea sentiens se liberatum ...sta illa dãnatione quæ sequitur naturæ ...am deprauationem, Gratias ago,inquit, ...eo per Iesum Christum Dominum no...um.Discant igitur Christum tempestiuè ...icunque nondum in eo sunt:in quo non ...lum habemus inchoatam quandam rege...rationě nostri in hac vita, sed etiam qui ...n perfectè regeniti sumus,habemus ta...en liberationem à condemnatione illa, ...am reliquiæ peccati iustè promerentur. ...lla,inquit Paulus,nunc est condemna...iis,qui sunt in Christo Iesu.

Horum retinetur non reformatur malitia.

A qua electi Dei liberantur per Christum.

...i modò eum. Corrigit superiùs arg.adie... certa quadam conditione : quasi dice... non ita didicistis Christũ,simodò eum *...cistis* verè & solidè. Sententia igitur ...ectionis hæc est : Si modò audiuistis ...istum:neque id tantùm:nam multi au...itChristum,qui tamen per eum non e...entur: verùm si per eum edocti fuistis: ...ue id solùm , multi enim per eum edo...tur, qui tamen verè & solidè non do-

Correctio superioris dicti.

Sententia correctionis.

centur, ſed ſi edocti fuiſtis, *Vt eſt veritas in Ieſu*, hoc eſt verè, ſolidè, & efficaciter, vt illi edocentur qui verè & seriò eum agnoſcunt.

Doctrinæ. 1. De reali & verbali notitia Chriſti.

Obſ.1. Obſeruauimus ſupra vbi cognitio Chriſti ſit, ibi vitæ ſanctimoniam eſſe: ſed nunc obſeruamus qualiſnam Chriſti cognitio efficiat hanc vitæ puritatem: Non omnis, ſed efficax, ſolida & vera. Hinc ſoluitur obiectio quędam. Quæ cauſa eſt, cùm tātā hodierno die illuceat hominibus Chriſti lux, cur tamen pleriq; omnes male viuant? Reſp. Hoc fieri ex eo quod vix centeſimus quiſq; verè & efficaciter cognoſcat Chriſtum.

Fallacia diſtinctionis.

2. De gradib. doctrinæ & inſtitutionis Chriſtianæ.

Deſinant igitur Papiſtæ hoc verbo Dei imputare, quod peccant homines. 2. Obſeruo gradus doctrinę & inſtitutionis Chriſti. Primus eſt, vt audiamus. Secūdus, vt diſcamus. Tertius, vt ſolidè & verè diſcamus. Hos igitur gradus tenentes Chriſtum diſcamus. Audiamus quidem verbum prædicatum, ſed non putemus id ſatis eſſe, verum diſcamus quoque, neque id ſatis eſſe exiſtimemus, verùm ſtudeamus vt ſit illa doctrina ſolida & vera.

Nunc exponit, Quid ſit per Chriſtum eſſe edoctum.

Quid ſit per Chriſtum verè & ſolidè doctos fuiſſe, definit quaſi ad verſ. vſq; 25. Poſitum eſt autem in duobus: Primum eſt

ſi per Chriſtum edocti ſunt deponere veterem hominem. Secundum eſt, ſi per Chriſtum edocti ſunt induere nouum hominẽ. Primum eſt hoc verſ. cuius ſententia eſt: Si modo edocti eſtis, quod ad priorem illam conuerſationem, nempe, eam quæ fuit in Gentiliſmo, deponere eius cauſam, nempe veterem hominẽ qui cernitur in corruptis cupiditatibus, quę vos abduxerunt in errores ac miſerè deceperũt. Habemus hîc tria: primum eſt ipſe vetus homo: ſecundum, eius definitio: tertium, eius effectum. Quod ad primũ, Natiua corruptio in ſcripturis accipit varia nomina: vocatur caro, vocatur lex membrorũ, item animalis homo, item exterior homo, poſtremò vetus homo. Quod ad hoc poſtremum nomen attinet, vetus homo propriè ſignificat ipſum hominem, vt veterem illam corruptionẽ, quam accepit in Adamo etiam adhuc retinet, & nondũ eſt renouatus per Spiritum Chriſti. Sed hîc & alibi accipitur pro ipſa corruptione natiua veteri. Quod ad ſecundum, definitio veteris hominis eſt his verbis: *ſui deceptricibus.* Hanc definitionem vt intelligamus, quædam nobis ſunt paulò altius repetenda. Deus creauit hominem ad imaginem ſuam. Primùm quoad animum eiuſq; ſubſtantiam: eſſentia enim ſpiritua-

1. Deponere nempe veterem hominẽ.

Cuius ſubiicitur nominis conſideratio multiplex: & ſignificatio.

Deinde definitio, paulò altius repetita.

Cõſideratur enim homo

ante lapſum quoad animam & animæ facultates.

lis eſt. Deinde quoad facultates animæ quas duas intelligo præcipuas, intellectū & volūtatē: ſub intellectu accipio ſenſum: ſub voluntate affectiones. In creatione miru fuit ille ſplēdor, mira lux intellectus ad intelligendum: magna fuit libertas voluntatis, ad eligendum, recuſandū, & ſuſpendendum: magnum acumen ſenſus ad apprehēdendum obiectum ſuum: magna vis affectuum ad commonendum, ſed benè & ſanctè. Tertiò creatus eſt ad imaginem Dei

Item quoad facultatum omnium qualitatem.

quo ad qualitatem facultatū omnium, bonitatem quandam & ſanctitatem. Sanctu intellectus tū fuit, ſancta volūtas, ſanctu ſenſus, ſanctæ affectiones omnes. Lapſu

Deinde conſideratur poſt lapſum.

homo amiſit imaginem Dei, non quoad animæ ſubſtantiam, ea enim remanſit: non quoad facultates, eæ enim remanſerūt, ſed labefactatæ admodum: verum quoad ſanctitatem illam & bonitatem facultatum nam ea prorſus amiſſa eſt. Neque verò ſolum perdita eſt ſanctitas, ſed eius loco ſucceſſit omnium facultatum & totius naturæ

Hæc conſideratio veteris hominis definitionem ſuppeditat, ex Apoſtoli verbis deſumpta.

impuritas. Sic vt veterem hominem definire liceat, tum abſentiā ſanctitatis facultatum omnium animæ, tum præſentiam cōtrariæ impuritatis & ἀνομότητος. Sed hîc mihi veterem hominē definit Apoſtolus per corruptionem cupiditatum, hoc eſt, vt vi

detur, maximè voluntatis & affectionum, quia etsi mens ipsa quoq; miserè corrupta est, tamen si cõparatio sit facienda, hæ magis sunt corruptæ ac deprauatæ. Semper enim mens etiam animalis hominis melius videt & intelligit, quàm voluntas cum affectibus sequi aut præstare possit. Imo vero sæpenumero fit, vt intelligentiæ & iudicio mentis saniori, voluntas cum affectib. suis resistat: *Video meliora probóque, deteriora sequor.* Cupiditatibus tribuit deceptionem: nam cupiditates & affectiones cordis natura cæcæ sunt, & si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam ruent: necesse est igitur abducant homines in errorem. Tertium est quòd in verbis consideramus, effectum veteris hominis, nempe, cõuersatio illa prior in Gentilismo. Quæ autem fuerit ea, habemus proximè superius, ambularunt in vanitate mentis suæ: sed clarius explicata est cap. 2. vers. 2.

Definitionis ratio.

Tertiò, veteris hominis effectum definitionis nominis & rei subiicitur.

Hactenus de j. parte definitionis veræ doctrinæ Christi: sequitur altera, nempe si didicerunt renouari spiritu mẽtis suę. Hęc pars iusto ordine sequitur priorem illam. Nam non satis est deponere veterem hominem, nisi nouum induas eius loco. Primum proponitur hoc vers. deinde exponitur sequenti. Sententia propositionis hæc est: Si

2. Altera pars definitionis veræ doctrinæ Christi.

Induere nouũ hominem.

edocti sumus per Christum (nam hoc ἀπὸ κοινοῦ repetendum est) renouari non solum aliis facultatibus animæ, sed etiam viuific illa mentis vi: spiritum enim mentis intel ligo, mentis vim quandam viuificam. Sed quæri potest cur tantùm loquatur de mentis renouatione? Resp. Hoc factum esse, v videtur, propter veteres illos Philosopho & sapientes huius mundi, qui mentem in corruptam fecerūt, eámque velut reginam prefecerunt toti animę eiúsque omnibu aliis facultatibus. Ideóq; vt sciant illi mentem ipsam, hoc est, quod sapientissimum est in homine etiam corruptum esse, de eius renouatione potissimum loquitur, non exclusa intereà cæterarum quoq; facultatum instauratione.

Quid sit.

Obiectionis in sentētiam propositam dilutio.

Et propositionis expositio, in qua occurrit

Et induere. Sequitur expositio propositionis, in qua duo sunt inverbis ipsis distinguenda. Alterum est de nouo homine, & voce ipsa: alterū de eius definitione. Quod ad vocem: Sanctitas illa naturæ nostræ restaurata in Christo variis nominib. appellari solet. Vocatur spiritus, vocatur lex mē tis, spiritualis homo, interior homo, nouus homo. Est autem propriè nouus homo, ipsemet homo, quatenus innouatus est pe sanctitatem Christi, deposita iam illa veteri corruptione naturæ. Hoc vero loco pr

1. Nominis, (i. noui hominis) consideratio.

ipsa sanctitate accipitur. Definitio deinde novi hominis expendenda est. Constat autem ex duobus arg. Primùm Archetypo & exemplari suo, deinde partibus. Ἀρχέτυπων siue exemplar est Deus, hoc est, imago Dei, vt appellatur Col. 3. 10. homo iam primùm creatus fuit ad imaginem Dei, ad eandem imaginem regeneratus est. Partes deinde recensentur duæ, iustitia & sanctitas: quæ in ipso exemplari primum sunt consideran dæ. Dicemus itaque de iis, vt in Deo sunt, si prius hoc quasi fundamenti loco iecerimus Quicquid est in Deo hoc essẽtiale esse ipsi, adeóque ipsam Dei naturam & essentiam. Iustitia igitur Dei, est ipsa Dei essentia, qui vult & facit omnia iustè secundum legem suam. Nam in lege morali Deus expressit nobis iustitiam & naturam suam. Sanctitas in Deo cõplectitur summam omnium virtutum Dei sapientiam, iustitiam, potentiam, misericordiam, bonitatem, &c. Hæc est illa quæ alibi vocatur bonitas vt Psal. 143. 10. Spiritus tuus bonus deducat me per iter rectum: & lux Dei. 1. Ioann. 1. 5. Atque hæc de his in Deo, hoc est, in ipso exemplari: dicemus deinde de his ipsis in homine, si prius hoc subiecerimus fundamenti loco. Quæcunq; in homine sunt virtutes, accidentarias tantùm esse & non de

2. Et definitio, constans duobus arg.

Archetypo suo.

Partibus suis, Iustitia, Sanctitate.

Quæ in Deo primùm considerãdæ sũt, vt essẽtiales.

Deinde in hominib. vt accidentariæ.

Iustitia quid in homine.

Et sanctitas.

natura ipsius. Iustitia igitur in homine e[st] illa virtus accidētaria, qua vult & facit, qu[æ] cum lege Dei consentiunt. Sanctitas in h[o]mine comprehendit omnes virtutes illas quib. ornatę sūt animę humanæ facultate[s] principales. In hac est illa ipsa iustitia d[e] qua suprà: in hac est illa agnitio & sapie[n]tia, de qua ad Col.3.10. Vocatur in Gene[s.] bonitas, Et vidit Deus omnia quæ fecit, & erant valdè bona. Genes.2.25. de Adamo & Eua dicitur quod ambo nudi erant, neque tamen erubescebant. In causa nimirū erat quia induti fuerūt hac naturæ sanctitate qua induti nullius deformitatis, turpitudinis aut defectus erant sibi conscij, sed hac exuti, turpitudinem, etiam collectis & cōsutis arborum foliis: non satis tamen obtegere potuerunt.

Cur veritatis cognomen sanctitati tribuatur.

Appellat eam sanctimoniam veritatis: Vt mihi videtur, hoc ex aduerso respondet ei, quam attribuit cupiditatibus, deceptioni. Dicitur itaque sanctitas veritatis, quia non decipit nos: sed deducit in omnem veritatem. Hæc de nouo homine.

Noui hominis duo gradus.

Prior.

Posterior.

Sciendum autem est duos esse gradus huius hominis (nam illud prætereo fuisse hūc hominem per creationem ipsam etiam antiquiorē illo veteri) Primus gradus est per regenerationem in hac vita. Secundus per glorificationem in altera vita, quo tempo-

re perfectior & excellentior erit hæc ſanctitas naturæ recuperata in Chriſto, quàm fuerat in Adamo amiſſa: quemadmodum Paul. docet 1. Cor. 15. 49. vbi comparat inter ſe terrenum hominem in Adamo, & cæleſtem illum in Chriſto. Hactenus contextus ita explicatus eſt.

Obſ. 1. Video hîc primùm doctrinę quoddam caput: Iuſtificati per fidē dicimur ſanctificari deinde. huius autem ſanctificationis hoc loco habemus duas partes clariſſimè diſtinctas, mortificationem veteris hominis & viuificationē noui hominis. Paulus 2. Cor. 5. 2. Suſpiramus, inquit, expetentes domicilio noſtro, quod è cælo eſt, ſuperindui: quibus verbis ſignificat, non cupere quidē ſe exui hoc corporis tegumento, ſed ſuperindui vita & immortalitate, veluti alia veſte, ita vt abſorbeatur à vita & gloria illa, non corpus ipſum, ſed mortalitas corporis. Sed hîc longè aliud ſtatuit de veteri & nouo homine. Primùm de veteri exuēdo loquitur: deinde de nouo induendo, non ſuperinduendo. Impoſſibile enim eſt nouum hominem veteri ſuperinduere. Non minus conueniunt quàm Deus & diabolus, cum nouus homo ſit ad Dei imaginem conditus, vetus verò ad diaboli. Id oſtendit vel hæc lucta ſpiritualis inter reli-

Doctrinæ. 1. De partib. ſanctificationis, mortificatione & viuificatione.

Quomodo conſideranda ſit.

quias veteris hominis & principia noui hominis. Hæc obseruo propter dealbata illa sepulchra, id est hypocritas qui claudentes in pectore veterem illum hominem, speciem quandam sanctitatis & laruam duntaxat conantur superinduere: etenim veram sanctitatem non possunt: adblandiantur & placeant sibi vt velint, aliquando futurum est vt detrahatur ipsis hæc larua, vt tandem appareat illa cordis impuritas, & à toto mundo conspiciatur, ad perpetuum ipsorũ dedecus, nisi resipiscant. 2. Suprà obseruauimus solidam, efficacem, & veram Christi cognitionẽ efficere ne volutemur in peccatis gentium: Nunc quæ sit illa vera & solida cognitio discimus, nempe cognitio illa quæ efficax est ad sanctificationem. Vis scire an verè Christum didiceris? Vnde an sentias in te efficaciter agentem spiritum illum sanctificationis: qui si sit in te, profectò ociosus in perpetuum esse non potest. Et cognitio etiam aliorum efficax vel non efficax, ex vitæ sanctimonia iudicanda est. 3. Deceptionem tribuit veteri homini & cupiditatibus, veritatem vero nouo homini & sanctitati. Vetus igitur homo abducit in errorem. Nouus homo deducit in omnem veritatem. Hinc disce discrimen non renati hominis & renati. Non renatus, vt-

Aduersus hypocritas mortificationem & viuificationẽ simulãtes.

2. De solida & vera Christi cognitione.

3. De discrimine hominis renati & non renati.

cunque & sibi & aliis videatur sapere, mi- Non renati character.
serè tamen errat, deceptus à cupiditatibus
suis. Renatus verò, quà renatus est, vtcunq; Renati.
sapientibus secundum carnem stultus vi-
deatur, tamē rectam viam tenet, deductus
à spiritu illo sanctificationis, qui idem spi-
ritus est veritatis, Ioan. 14. 17. Deducēs nos
in omnem veritatem, Ioan. 16. 13. 4. Illud 4. De restitutione imaginis Dei in homine corrupto. Hanc imaginem non possunt instaurare.
verum apparet ex hoc loco, hominem na-
tura esse corruptum. Illud quoq; videmus,
necessariam esse cognitionem ad hoc vt
reparetur in nobis imago Dei. Illud deniq;
videmus, cognitionem per doctrinam cō-
parari. Nunc dicam quod fortasse παράδο-
ξον videri possit mūdo. Arreptum tibi ho-
minem non renatum instrue in omnibus
philosophicis voluminibus, quotquot de Philosophiæ præcepta.
moribus & natura rerum conscripta sunt,
quam potes subtiliter & accuratè: non ta-
men restitues illi imaginem Dei. Demon-
stra illi digito hos cælos, hanc terrã, & hæc Cognitio rerum creatarum.
maria, quæque in iis sunt omnia, in quibus
quidem relucet aliqua imago diuinæ maie-
statis, & ex quibus alioquin posset addisci
Deus: est enim hæc Dei sapientia, ex qua
cognosci potest Deus. 1. Cor. 1. 21. nō tamen
restitues illi imaginem Dei. Terrefacito il- Minæ & promissiones legis.
lum hominem etiam legis ipsius Dei ma-
ledictione: allicito eum rursus legis pro-

Sed sola Euägelij prædicatio imaginem illam Dei restituit in nobis.

Ratio.

missionibus?nihil profecerit:non restitue misero imaginem Dei.Quid igitur?Sola i la stulta,vti videtur sapiẽtib. huius secul prædicatio imaginem Dei restituet.Prędi catio quidem vilis in verbis, vilis in re:or tio humilis est,res est homo crucifixus.Ratio est,hæc sola prędicatio Euangelij habe proprium sibi comitem illum regeneratio nis spiritum : est enim Christus ille , quem prædicamus Dei potentia ac Dei sapientia, potens quidem per spiritum suum ad rege nerationem & salutem in iis qui audiũt ipsum prædicatum.1. Cor. 1.24. Quare hæc sola prædicatio ministrat eam cognitionẽ. quæ efficax est ad sanctificationem & ima ginem Dei in nobis instaurandam.

Conclusio.

25 *Quapropter deposito mendacio , loquimini veritatem quisque proximo suo : nam sumus alij aliorum membra.*

Absoluta exhortatione generali , descendit Apostolus ad specialia quædã præcepta.

1.Horum primum est, Ne mẽtiaris, seu ne falsũ testi

Quapropter deposito. Sequuntur specialia quædam præcepta , absoluta iam exhortatione illa generali,quorũ hoc primum est, Cuius sententia est eadem quæ est legis illius mortalis.Ne falsum testimonium perhibeto.Nam illa lege sub vna mendacij specie prohibetur omne mendacium in genere.Sentẽtia præcepti facilis est.Partes sũt, ipsum pręceptum,&ratio præcepti.Partes

præcepti sunt duæ. Primùm præcipit vt deponant mendacium: deinde vt loquantur veritatem. Verba duo sunt hic cōsideranda, mendacium, & veritas, quæ inter se cōtraria sunt, quemadmodū virtus & vitium. Mendacium igitur est propriè, cum sermo non consentit menti reíque ipsi: nimirum cùm sermo, mens, & res ipsa non conspirant in vnum. Sed hìc latius accipio mēdacij nomen, non tātùm vt significat falsam sententiam, sed vt comprehendit omnem pactorum violationē. Veritas deinde propriè est, cùm sermo consentit menti & rei ipsi, nempe, cùm sermo, mens & res ipsa inter se consonant. Sed hìc extendo latiùs hanc vocem ad significandam in pactis & conuentis fidē. Sequitur ratio præcepti à coniūctione membrorum sumpta. Sumus, inquit, alij aliorum membra coalescentia in vnum Christi corpus. Ergo deposito mendacio, loquimini veritatem. Monstri simile esset, si videremus corporis membra molientia sibi inuicem perniciem. Quid igitur videri debet nobis cùm perspicimus in membris corporis Christi idem euenire? Hactenus de contextu.

monium dicito aduers. proximum: sed (vt fert præcepti ratio) loquere ei veritatem.

Quid sit mēdacium.

Quid veritas.

Ratio præcepti, Sumus alij aliorum membra.

Obs. 1. Argumentatur à membrorum cōiunctione ad illud officium veritatis. Certum igitur illud est, vera Christi membra

Doctrinæ. 1. De vera & genuina Christiani

nota, nempe veritatis amore & eloquio.

veritatem sibi inuicem loqui: vicissimque veritatem istam manifestissimum esse signum verorum Christi membrorum, Dauid Psal. 15. 1. & seq. eum ita interrogat Deum: Quis commoraturus est in tentorio tuo? Quis habitaturus est in monte sanctitatis tuæ? hoc est, ecquis erit verũ & germanum ecclesię tuę membrum? hoc responsum accipit à Deo: Qui ambulat integrè, qui iustitiam exercet, qui veritatẽ loquitur, prout est in animo suo. Ecce Deus ipse offert nobis hoc ipsum veritatis signum inter alia, quo cognoscamus verum Ecclesiæ membrum. Quod si igitur requiras à me, quis non futurus est verum Ecclesiæ membrum? Respondebo ex hoc ipso signo: Qui non loquitur veritatem, prout est in animo suo.

Confirmata Regij Vatis testimonio.

2. De orthodoxa præceptorum moralium interpretatione.

2. Non modo præcipit, vt deponant mendacium, sed etiam vt loquantur veritatem. Hinc licet discere in omnibus illis præceptis quę dantur expresse in alteram tantum partem, vel affirmantem vel negantem, vtramque simul intelligi. Nam Prophetæ & Apostoli interpretes sunt mandatorum Dei: requiritur etiam ab vnoquoque in vocatione sua, vt non tantũ declinet à malo, sed etiam faciat bonum. non tantum vt non mentiatur, sed etiam vt veritatem loquatur.

26 *Irascimini, sed ne peccate, sol ne occidat super iracundiam vestram.*

27 *Neque date locum diabolo.*

Irascimini sed ne. Secundum est hoc præceptum speciale. Referri potest ad illam legem, Ne occidito. Nam ea lege non tãtùm prohibetur ipsum factum, sed & omnes causæ facti, inter quas præcipua est inordinatus irę affectus. Sentẽtia igitur pręcepti est. Vt demus quidem vobis licere irasci, tamẽ ne peccare, hoc est, né procedat commotio illa à corrupto iræ affectu. Rursus si contigerit vos peccare, tamen ne occidat sol super exacerbationem vestram, hoc est, ne diutiùs duret iracũdia. Nam paratus est diabolus, sese offerente tam pulchra occasione, ad vos ita inflammandos, vt necesse sit vobis admittere indignum aliquod facinus. Partes sunt, præceptũ duplex, & ratio præcepti. Ante præceptùm est, vt videtur, permissio quædam iræ, *Irascimini*, inquit, De hac igitur primùm dicamus. Internæ istæ facultatũ animi nostri actiones, vt cognitio mentis, electio, vel reprobatio voluntatis, commotio affectus, per se & generaliter non sunt peccata: nam eas in principio Deus creauit in natura: sed hactenus duntaxat sunt peccata, quatenus repugnãt Legi Dei. Peccatum enim est Legis trans-

II. Secundum præceptum, Ne irascitor, i. nõ occides.

Sentẽtia huius præcepti.

Ratio.

Partes.

Explicatio, seu iræ permissio, in qua consideratur

Internæ facultatum animi nostri actiones.

gressio. v.g. appetere pomum non est malum, sed appetere pomum contra Dei mandatum, malum est, & peccatum. Sic irasci simpliciter & per se non est malum, sed irasci ex corrupto animi affectu, & contra Dei mandatum, peccatum est. Itaque hoc loco permitit illis, vt videtur, simpliciter & per se irasci. Neque enim, vt Stoici fecerunt, omnem affectum tollit è medio. Praeterea sunt propter quae ita irasci debemus, vt si non irascamur, in vitio simus: nempe propter contumeliam Dei, propter iniustitiam, propter damnum proximi. Itaque hic etiam potest esse irae permissio.

Harum fundamentum & scopus.

Occasiones iustae.

Sequitur praeceptum: praecepti partes sunt duae. Primùm pręcipit ne peccent, hoc est, ne procedat illa commotio à corrupto affectu, neque peccet in aliqua circunstantia. Intelligendum est in natura corrupta omnes illas actiones internas facultatum animi corruptas esse. Nam ipsae facultates corruptae sunt omnes, habentes impressionem imaginis diaboli. Itaque praecipit, vt inter irascendum deponant hanc corruptionem. Praeterea in irae commotione in excessu non vno modo peccatur. Peccant homines cum ob nullam causam irascũtur: peccant cum ob leuem aliquam causam: peccant denique cum ob iustam, sed modum

Partium huius praecepti partes.

Irae prohibitio, ob corruptionem.

Quae multipliciter peccat in excessu.

dum excedunt, & vindictam appetunt. Præcipit igitur ne his modis irascantur. Altera pars præcepti est, si contigerit vitiose irasci, præcipit ne occidat sol super iracũdiam ipsorum, hoc est, ne lõgius duret ira. Sciendũ est, vt in aliis peccatis gradus sunt quidam, sic in commotione iræ. Prior est, quod peccemus in ira: posterior, quod perseueremus in illo peccati genere. Monet igitur ne perseueremus in ira. Ratio huius partis est à tentatione diaboli sumpta. Diabolus data occasione ex iræ commotione eam inflammat, inflammata semel ira erumpit in aliquod flagitium. Atque hæc de textu.

Altera pars præcepti. Ira est breuis.

Ratio huius partis.

Obs. 1. Monet fideles, ne dent locum diabolo. Illud igitur verum est, non tãtùm infideles Satanæ tentationibus vexari, sed etiam fideles ipsos. Testis huius rei est Paul. ipse, quem colaphis cedebat Angelus Satan. Testis est Dauid cui aduersarius suggessit animum numeraudi populum. Sed Dei misericordia fideles in graui illa tentatione & conflictu cum Satana audiunt huiusmodi voces quasi de cælo: Ne detis locum diabolo: quæ quidem ipsius Dei sunt, efficaces & ad fideles animandos, & ad impurum illum spiritum terrefaciendum.

Doctrinæ. 1. De tẽtationibus piorũ.

Exempla.

Remedia.

2. Petrus 1. Epist. 5 8. ait diabolum obambulare tanquam leonem rugientem, quæren-

2. De Satanæ efficacia in reprobos.

tem quem deuoret. Sed quando datur dia
bolo occasio potissima tentādi? Nimirum
tum cum excitatur affectus noster quo tē
pore insinuat se in animos hominum, &
affectum semel excitatum inflammat, in
flammato iam affectu, rapitur homo ad sce
Quomodo considerāda. lus aliquod perpetrandum. Cùm videris i
gitur adulteros, homicidas, & cæteros id ge
nus flagitiosos, dicito apud animum tuum
eos homines possideri ab immundo spiri
tu, quantumuis mundi & tersi videātur
nam fieri non potest, vt talia perpetrent
nisi inflammato à Satana affectu.

28 *Qui furabatur non amplius furetur, se*
potius laboret: operando manibus quod bo
num sit, vt possit impertiri cui opus fuerit

III. Tertium præceptum, Non furaberis. Hîc occurrit.

Qui furabatur. Tertium est hoc præce
ptum idem cum Lege illa Morali: Ne fur
tum committito. Qua non modò crassum
illud furti genus, sed etiam omnis fraudu
lētia, & substractio bonorum alterius pro
hibetur. Habemus hîc prohibitionem fur
Prohibitio furti. ti, & remedium aduersus furtum. Prohibi
tio igitur est, *qui furabatur priùs*, nempe, i
Gentilismo, iam vocatus in Christo Iesu
Remedium. *ne amplius furetur.* Remedium est, *sed labo*
ret potius, non modò exercendo artes libe
raliores & honestiores, sed priùs quàm fu

retur, *operando manibus suis.* Et quid operetur? non quod inutile est: multæ enim sunt artes inuentæ potiùs ad impuras voluptates, quàm ad vtilitatem & honestatē: sed operetur & exerceat *quod bonum est*, hoc est, quod sanctum est, & proximo vtile. Finis additur, vt tantum absit à furtiua substractione bonorum proximi, *vt* contrà *eius necessitati subueniat.*

Finis præcepti.

Doctrinæ. De laboris præstantia & vsu.

Obs.1. Paul. 1. Thes. 2. 9. & 2. Thes. 3. 8. ait de se quod die & nocte operatus sit manibus, ne ipsos grauaret, ac proinde esset scādalo, 2. Thes. 3. 11. 12. monet ne curiosi sint in rebus alienis, sed suas res agant: hîc monet ne furentur, sed potius laborēt manib. suis. Ex his locis discimus laborem presens esse remedium aduersus scandalum, curiositatem, & furtum. Imò, vt generaliùs de eo loquar, Quemadmodum otium est mater omnium vitiorum (necesse est enim otiosum & socordē hominē occupet aliquando graue aliquod malum) Ita labor singulare remedium est aduersus multa mala. Nostri homines, qui ex his vel illis familiis oriundi sunt, laborem detrectant, artes refugiunt, quod pudeat tam bene scilicet natos, seruiles istiusmodi operas exercere: sed præstat vel artes quasque vilissimas, & tamē licitas exercere, quàm viuere ex fur-

Aduersus otiosos, qui magno suo & aliorum malo curiosi & fures sunt.

to & rapto, quam aliena viuere quadra, vt cum Poeta loquar. 2. Gen. 3. 19. legimus inter alias hanc quoque esse maledictionis partem: Ex sudore vultus tui, inquit, vesceris cibo tuo. Hoc verò loco sudor vultus opponitur furto vt remedium quoddam honestum. Vide igitur vt Deus suis maledictionem vertat in benedictionem. Omnia cóferunt in bonum diligentib. Deum 3. Homines vulgo liberales sunt ex alieno vel ex eo quod nullo ferè labore partum est: nam leuiter parta leuiter dilabuntur Sed ex hoc loco discimus oportere nos etiam quę sudore quasi vultus acquisiuimus conferre in vsus fratrum egenorum, Quartum præceptum sequitur his verbis:

29 *Nullus sermo corruptus ex ore vestro egreditor, sed si quis est commodus ad ædificationis vsum, vt gratiam auditoribus adferat.*

30 *Et ne tristitia afficite Spiritum illum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis.*

Nullus sermo. Hoc pertinet ad illud legis mandatum, Non mœchaberis. Eo enim mandato non modò prohibetur ipsa adulterii actio, sed etiam quæcunque causæ & occasiones illius actionis, ex quibus inter

IIII. Quartũ præceptum, Ne impurus esto, seu, Non scortaberis.

cæteras vel præcipua eſt ſermo corruptus & obſcœnus. Habemus igitur hoc verſu mandatum, mandati autem rationem verſ. ſeq. Mandati duæ ſunt partes: prior eſt, nullus ſermo corruptus exeat ex ore veſtro. Poſterior eſt, ſed qui commodus ſit ad ędificationis vſum. In priore parte tãtùm vim vocis τοῦ σαπροῦ obſeruamus: ſignificat autem propriè ſermonem putrem vel putidum, & opponitur ſermoni ſale condito, de quo Col. 4. 6. Eſt igitur ſermo putris, ſermo inſulſus, & malè conditus, qui auditorum animos quaſi putredine ſua inficit. Nam mores bonos cõmercia corrumpunt mala, 1. Cor. 15. 33. In altera parte præcepti notamus vocem ædificationis. Paul. 1. Cor. 14. 3. ædificationẽ videtur collocare in duobus, in exhortando & conſolando. Sed plenius eius partes omnes enumerat, 2. Tim. 3. 16. Inſtitutionem in vera doctrina, refutationem falſæ, informationem bonorum morum, correctionem prauorum. Finem huius præcepti ſubiungit, vt gratiam afferat auditoribus. Hæc nimirum eſt illa gratia, de qua Col. 4. 9. Sit ſermo veſter ſemper cum gratia. Eſt autem gratia nihil aliud, quàm fructus ædificationis, poſitus in veritatis cognitione, & bonorum morum habitu.

Sequitur ratio præcepti, ſed prioris par-

Præcepti partes.

Prima, de ſermone corrupto, vel putri.

Altera, de ædificatione, quæ in exhortando & conſolando conſiſtit.

Plenior partium huius ædificationis enumeratio.

Alia eiuſdem deſcriptio.

Prioris partis præcepti ratio.

tis eius. *Et ne tristitia afficite Spiritum illum sanctũ Dei, per quem obsignati estis in diem* quasi diceret, obscœno & corrupto sermone tristitia afficitur Spiritus ille sanctusqu habitat in vobis. Ergo nullus sermo corruptus exeat ex ore vestro. Quid sit hoc tristitia afficere Spiritum S. videamus. Spiritus S. habitat in nobis, sanctificat nos & regenerat, illuminat mentem, voluntatem & affectiones reformat ad imaginem Dei Cũ igitur nos pertinaciter resistimus huic Spiritus S. operationi, ac sanctificationi, & quod malum est ac Deo displicet committimus: tum dicimur extinguere Spiritum 1. Thes. 5. 19. Mentiri in Spiritum, Act. 5. 3 Tristitia afficere Spiritum, Esa. 63. 10. & ho loco. Tristitia afficiunt Spiritum etiam regenerati: idcóque, etsi eum non prorsus & in vniuersum amittant, tamen sentiunt in se ad tempus valdè inefficacem & languidum, Experientia est Dauid. Psal. 51. post illud facinus in Vriam perpetratum, precãtis à Deo vt restituat sibi Spiritum S. nempe, quem ad tempus non sensit in se efficacem Subiũgit eos obsignatos esse illo Spiritu S. Non simpliciter ac nudè dicit Spiritum in iis habitare: sed ait habitando obsignare in ipsis adoptionis gratiam, vsqu ad illum diem plenæ redemptionis, quo ap

Obscœnus sermo Spiritum Dei tristitia afficit.

Quomodo id fiat.

Variis locutionibus expressum.

Regeneratorum infirmitas.

Dauide teste

Dehortatio à putri & obscœno sermone, efficacissima, à dignitate, præsen-

parebit nos esse Dei filios. Et vt loquitur cap.1.14. arrabonem esse illius hæreditatis, vsque ad diem perfectæ redemptionis. De hac obsignatione satis fusè, Dei gratia, diximus cap.1. ideóq; nunc ad alia transimus.

tia, & effectu S. Spiritus.

Obs. Videmus hoc loco vel sermonem & voces efficaces esse ad nos corrumpendos, qua sumus naturæ constitutione & in hac alea hominum, vt supra loquutus est Apost. Illud etiam Christi verum est. Væ illis per quos scandalum venit. Hinc sequitur esse iustā causam, cur Apost. alibi præcipiat Christianis, vt ambulent præcisè & circumspectè, idque non tantùm nostra, verum etiam aliorum causa, ne alios offendamus, cum vel verbo obscœno & impuro corrumpātur hominum animi. Verborum igitur, non solum factorum, maximus delectus est habēdus in hac vita. 2. Discimus hîc quoque quam efficax sit diaboli spiritus per verbum suum in natura corrupta: quod cum ita sit, semper debemus habere suspectam naturam nostram, & obscœnorum ac vanorum hominum cōsortium vitare. 3. Discimus postremò, quòd sicut Spiritum Dei sanctum bonis operibus & sanctis sermonibus exhilaramus: Ita contrà malis operibus, & impuris sermonib. eum tristitia afficimus. Quæ causa est, precor,

Doctrinæ.
1. De delectu nō modò factorum, sed etiam dictorum habendo in hac vita.

2. De vitando carnis nostræ & vnorum hominum consortio.

3. De animæ languoribus & morbis lethalibus.

cur sæpe in nobis sentiamus spiritum hūc quasi languescentē, aliquādo autem mortuo similem? In causa est profectò quòd eum, indulgendo carni & corruptioni nostræ, hoc est, Spiritus S. aduersario, tristitia affecerimus. Vel eius igitur causa, cùm ipse in nobis habitet, qui tanto hospite indignissimi sumus, reuereamur hæc corpora nostra, & pura seruemus ab omni immunditie membra nostra: quod si fecerimus, habitabit in nobis perpetuò Spiritus ille Dei sanctus, neq; migrabit è nobis priusquam & corpore & animo nos plenè perfectéq; glorificauerit.

Ad pios oēs admonitio.

31 *Omnis amaritudo & excandescentia, & ira, & clamor, & maledicentia tollatur ex vobis cum omni malitia.*

32 *Sed estote alij in alios benigni, misericordes, condonantes vobis mutuo offensas, sicut & Deus in Christo condonauit nobis.*

v. Quintum præceptum, Ne malignus sed benignus esto.

Omnis amaritudo. Hoc est v. præceptum speciale, in quo primùm prohibet omne genus malitiæ: deinde præcipit benignitatem & misericordiam, simul cum effectu earum virtutum, nempe, condonatione. In prohibitione primùm inducuntur quædā species malitiæ: Deinde compendio quodam cæteræ omnes comprehensæ sunt suo

Prohibetur malitia: cuius species seu gradus 5.

genere. Species per gradus quosdam ascendűt ab infima ad supremam. Prima species est amaritudo. Hæc est illa prima infectio cordis & affectionis, quam vocat Petrus fel amaritudinis. Act.8.23. Secunda est, excandescentia: hæc secunda est quæ, si sequamur notationem vocabuli, ebullitioné quandam cordis significat. Sequitur autem primam illam: nam postquam semel cor est amaritudine infectum, & quasi intoxicatum, tum feruet & intumescit. Tertia est ira: significat appetitionem vindictæ: sequitur autem secundam speciem. nam posteaquam semel intumuit cor, vindictam appetit. Quarta est clamor: per clamorem intelligo contentiones & certamina disputationum, quæ nõ sunt sine clamore & vocis contentione. Hæc sequitur tertiam: Nam ira, si non compescatur, vel verbo vel facto vlciscitur aduersarium. Quinta est maledicentia, qua læditur fama proximi: hæc sequitur quartam: nam disputationes & contentiones illæ clamosæ ferè vertuntur in contumeliam in personas ipsas. Hæ sunt illæ species, quarum posteriores oriuntur ex prioribus. In fine versus cætera omnia huiusmodi vitia summatim comprehensa suo genere simul ac semel prohibet.

Amaritudo.

Excandescétia.

Ira.

Clamor.

Maledicentia.

Sed estote. Hæc est secunda pars præce-

Cõmendantur virtutes malitiam oppugnantes, nempe

pti, in qua primùm præcipit virtutes ipsas: deinde effectum commune ipsarum virtutum: tertiò rationem effecti addit: quartò principio cap. sequent. ex ratione præmissa concludit effectum. Virtutes igitur sunt benignitas siue mansuetudo, & misericordia.

Benignitas, seu mansuetudo. Misericordia

Mansuetudo virtus est quæ iram reprimit, sic vt non feramur præcipites ad lædendum proximum. Misericordia virtus est qua dolemus cum dolentibus, & compatimur ita vt commoueamur ad adiuuandum, quibus possumus rationibus, proximum.

Harum virtutum comparatio.

Vt igitur comparemus inter se has duas virtutes: mansuetudo facit ne lædamus: misericordia verò facit vt etiam prosumus aliis.


Effectum commune.

Sequitur effectum commune, condonatio offensarum. Nam dum mansuetudo reprimit iram, misericordia cõdonat offensas.

Ratio effecti ab exemplo Dei sumpta, siue argumento à maiori ad minus.

Ratio effecti sumpta est ab exemplo Dei, qui condonauit nobis in Christo peccata nostra. Si comparetur Deus cum homine, condonatio qua condonat homo offensas suas homini vel inimicissimo non pertingit ad millesimam partem condonationis Dei: vnde Matth. 18. debita quæ remittit nobis Deus cõparãtur decem mille talentis vers. 24. quæ verò homo remittit homini, centum denariis: inter quas summas vel parua vel nulla est proportio. Ar-

gumentatur igitur ab hac Dei condonatio ne immensa. In verbis obseruandum est quod dicit in Christo condonatas offensas nostras, Deus non solùm condonauit nobis nostra peccata propter Christum Mediatorem, sed etiam per eum, & in eo, vt hoc loco habemus. Nam nisi in Christo simus, hoc est, coniuncti cum eo per spiritum & fidem, non prodesset nobis omnino Mediator Iesus Christus. Explicato demum primo vers. cap. seq. quæ obseruanda duximus in hunc locum annotabimus. Vis huius argumenti.



ARGVMENTVM.

Cap. v. persequitur pręcepta officij specialia, quæ ad quamcunq; hominum conditionem pertinent, ad vers. vsque 22.

Deinde aggreditur præcepta quę respiciunt certas quasdam hominum conditiones, & primùm eorum qui matrimonio sunt coniuncti, ad fin. cap.

CAPVT V.

1 *Estote igitur imitatores Dei, vt filij dilecti.*

Estote igitur. Primo ver. ex Dei condonantis exemplo concludit condonandum aliis. Ergo estote imitatores Dei: sensus est, queadmodum Deus remisit vobis offensas vestras, ita & vos re mittite aliis offensas suas. Illustrat conclusionem nouo argumento. Filij Dei estis, inquit: filij imitantur facta parentum. Ergo

Argumenti, mansuetudinem & misericordiã commendantis, confirmatio.

Estis filij Dei: igitur estote Dei imitatores.

imitamini Deum. Sed hoc altiùs repetendum est. Filij imitantur parentes, quia similitudine quadam naturæ ad eos accedunt, & gestant quasi eorum imaginem & effigiem. Sic filij Dei, quia gestant ipsius imaginē in iustitia & sanctitate vera, Dei facta imitantur. facta autem Dei non sunt vnius generis. Ex omnibus maxima sunt opera misericordiæ, quæ maximè imitari debent filij. Est enim hæc præcipua nota filiorum Dei. 1. Ioan. 3. 10. Per hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli. Quisquis non exercet iustitiam, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum.

Quomodo electi sint Dei imitatores.

In quibus operibus.

Obs. 1. vides hîc gradus quosdam iræ. Peccatum omne completum gradib. quibusdam perficitur. Primùm est cupiditas, ait Iac. 1. 14. quæ deinde concipit: postremū est peccatum absolutum & perfectum. Ex his gradibus posterior deterior est priori, & postremus deterrimus. Ex priori posterior continuò exurgit, nisi tempestiuè reprimatur prior ille: Quod si ita sit, principiis resistendum est. Si vires maiores pro gressu temporis acquirat, sera nimis erit medicina. O beatos illos qui impurissimum illum peccati fœtum in pectore suffocant priusquam possit erumpere. 2. Ex duabus his virtutibus, mansuetudine & misericor

Doctrinæ in 5. præceptum, malitiam prohibens, & benignitatem commendās.

1. Ira tempestiuè compescenda est, & in pectore suffocanda.

2. Mansuetudo virtus ne-

dia educit effectum condonationem. Inter alias, duæ sunt affectiones in homine: ira & misericordia. Ira vlciscitur iniurias, misericordia condonat eas. Si bona & ordinata esset constituto affectuum, tum ira non impediret opus misericordię in condonando offensas: sed quæ est corruptio naturæ nostræ, cùm misericordia inclinat ad condonationem, ira quærit vindictam: quare ad opus misericordiæ maximè opus est illa altera virtute, nempe, mansuetudine quæ cernitur in ira reprimenda. Alioqui in corrupta natura maior erit vis irę ad vlciscendum, quam misericordiæ ad condonādum.

cessaria ad opus misericordię & irę suppressioné

3. Estote benigni & misericordes, cōdonantes vobis mutuò offensas: Quare benignitas & misericordia maximè apparent cum condonamus offensas & iniurias nobis illatas. Hoc in genere affirmari potest de omnibus virtutibus: quòd omnis virtus arguatur rebus aduersis. Parum est videri patientem, vbi non sunt afflictiones, sed ille demum verè patiens est dicendus, qui patitur afflictiones. Parum est videri fortem in pace, sed in bello cernitur fortitudo. Sic parū est videri misericordē, vbi non sunt offensæ: at in offensis & iniuriis cernitur misericordia. Quòd si parua sit misericordię & benignitatis commendatio, nisi cum offensæ

3. Benignitas in iræ tenebris maximè elucet.

Vt patientia in afflictionibus.

Et fortitudo in certamine.

Crudelitatis detestatio, ab oppositorum natura.

fiunt,quid dicemus de barbara illa crudeli tate nostrorum hominum, cum nullæ sunt offensæ. Nos,credo,si permittamur naturę nostræ, quemadmodum diabolus quærit perniciem creaturæ,ita & nos non contenti essemus nisi extrema subuersione creaturæ Dei. Sed si graue sit iudicium eorũ, qui non sunt misericordes tum cum sunt offensæ,quam graue futurũ est iudicium eorum qui truculenti sunt & sæuiunt etiam tum, cum nulla sit iniuria? 4. Argumentatur ab exemplo Dei qui remisit nobis omnia peccata nostra. Nihil est quod magis consolatur hominem quàm conscientia remissionis peccatorum. Qui scies igitur an tibi remissa sunt peccata? nempe,si conscius tibi sis offensæ fratri tuo cõdonatæ, id argumẽto est tibi & tuas offensas condonatas esse à Deo. Sin verò huiusmodi non sit cõscientia,nescio quod possis argumẽtum habere cõdonationis peccati tui. Imò qui fieri potest,vt bona cõscientia petas à Deo remissionem peccatorum, cùm petitio seria remissionis nitatur conscientia remissarũ fratri tuo offensionũ? Remitte nobis,inquit, debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. 5. Concludit eos debere imitari Deum. Quedam sunt Dei opera credenda tantùm non imitanda,ex quibus est

4. Remissiõis peccatorum concientia mãsuetudinis & misericordiæ erga proximum necessario coniuncta.

5. de Deo imitando, & qua ratione.

creatio mundi. Quædam vero sunt nō credenda solùm, sed etiam imitanda, ex quib. est opus illud misericordiæ præsertim in remittendis peccatis in Christo. Ex hoc igitur opere gratuitæ remissionis peccatorum in Christo, duplicem vtilitatem capimus: Primùm Deus remittit nobis nostra in se peccata: deinde alij exemplo illius remittūt nobis nostra peccata in se commissa. Discamus igitur omnis boni erga nos Deo in Christo gloriam tribuere, eúmque eius fontem agnoscere, cum non solùm (vt hîc discimus) ipse remittat nobis peccata in se nostra, sed etiam suo exēplo alios ad condonandas nobis in se offensas nostras inuitet. 6. Coniungit cum complexione argumentum nouum, quod sint filij Dei, cum prius illud argumentum sumptum sit à Dei exemplo. Ex quo discimus argumentū hoc à Dei exemplo non esse efficax nisi in Dei filiis. Quid igitur causæ est quod tam pauci moueantur vi huius argumenti, Deus cōdonauit nobis nostras offensas: Ergo condonate mutuo offēsas? Resp. vix cētesimus quisque est Dei filius. Quam paucos habet Deus filios in tanta vlciscendi cupiditate & tam barbara hominum crudelitate!

Remissionis peccatorū in Christo duplex vtilitas, respectu nempe Dei & proximi.

6. De exiguo filiorum Dei numero.

Desperata hominū nostri seculi peruicacia.

2 *Et versamini cum charitate, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro*

nobis oblationem et victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ.

vi. Sextum præceptum, versare cum charitate, seu, Dilige proximum tuum sicut teipsum.

Et versamini. Sextum præceptum speciale: Primùm habemus præceptum ipsum: deinde rationem præcepti. Præceptum est, versamini cum charitate. Multæ requiruntur virtutes ad officia secundæ tabulæ, cuiusmodi sunt mansuetudo, misericordia, modestia, &c. Sed inter omnes præcipua est charitas, sine qua officia cæterarum virtutum parui momenti sunt: ideóque ad Col. 3.14. Apost. aliis multis enumeratis tandē addit: Ante omnia induimini charitate, quæ est vinculum perfectionis. Et ad Rom. 13.10. omnes leges ij. Tab. reducit ad vnicam charitatem, quam definit legis expletionem. Monet igitur hoc loco, vt versentur cum charitate.

Ratio præcepti. Quid ni id præstare debes? Christus dilexit te plus quam seipsum: te, inquam, Dei inimicum, & miserrimum peccatorem. Vt ex præstantissimo

Argumentum sumptum est à Christi dilectione. Hanc explicat ab eiusdem sacrificio pro nobis semel oblato. Sic Rom. 5.8. Commēdat autem charitatem suam erga nos Deus: quod, cum adhuc essemus peccatores, christus pro nobis mortuus est. Quibus verbis habes etiam id, quod præterea amplificat illam dilectionem, nempe, quod mortuus sit pro nobis, cùm peccatores essemus, & inimici Sacrificium Christi commendatur à fine suo, vt sit odor bonæ fragrantiæ

grantię. Allusio est ad legis sacrificia & θυμίαμα, qua significatur sacrificiũ hoc Deo placere. Omnia illa legis sacrificia neque peccatum tollere, neque à Deo approbari potuerunt: hoc autem Christi sacrificium & sustulit peccata omnia, & Deo acceptum fuit, Heb.10.4.8.11.

illius sacrificio constat.

Obs. Christus ex dilectione nostri offerens se Patri, acceptum fuit sacrificium. Hinc discimus nulla nostra officia Deo placere nisi alii alios amemus. Satis se fecisse putant homines si perfunctoriè frequentarerant cœtus Ecclesiasticos, & externo hoc cultu defuncti fuerint: cum interea eorum animi repleti sint odio in proximum. Verum audiant illi Christum Matth.5.23.24. Si munus tuum attuleris ad altare, & illic memineris fratrem tuum habere aliquid contra te, omitte illic munus tuum coram altari, & abi: primum reconciliator fratri tuo, & tum veniens offer munus tuum. Esto beneuolus litiganti aduersus te citò, donec es in via cum eo.

Doctrina. Nulla hominum sacrificia officiáue Deo accepta sunt, si absit charitas erga proximum.

Teste ipso Christo.

3 *Scortatio autem & omnis impuritas, aut auaritia, ne nominator quidem inter vos, sicut decet sanctos:*

4 *Et obscœnitas, & stultiloquium, & scurrilitas, quæ non conueniunt: sed potius gra-*

tiarum actio.

5 *Nam hoc nostis, nullum scortatorem, au impurum, aut auarum, qui est idololatr habere hæreditatē in regno Christi & Dei.*

VII. Septimū præceptum, sex vitia damnans.

Scortatio vero. Septimum speciale præceptum, quo vetātur sex vitia, quæ vsque ad eo detestari Ephesios vult, vt inter eos n nominari quidem ea velit: Abstinendum enim est nobis etiam à nominibus rerun detestabilium. Ex his sex tria priora sun vitia in actionibus vitæ: tria posteriora vitia sunt in sermone. Ex his quæ sunt in actione, primum est scortatio. Hoc vitium etsi latè pateat ad quodcunque huiusmod impuritatis genus: nā 1. Cor. 5.1. sub eo in cestum comprehendit: tamen propriè es illa impuritas, quæ committitur ab iis qu matrimonio non sunt coniuncti: vt etian hoc loco videtur accipi. Secūdum est, impuritas: hoc est ipsum genus comprehendens sub se scortationem, adulteriū, incestum, & libidinem illam quæ est cōtra naturam ipsam. Tertium vitium est Auaritia Nomen significat inexplebilem habend cupiditatem: cum quis per fas per nefas quærit ditescere, interea restringens liberalitatem suam erga alios. Argumētum quo dissuadet hæc vitia sumptū est ab eo quod decet vocationem sanctorum, vel eos qui

Quorum tria priora sunt in vitæ actionib. nempe
1. Scortatio.

2. impuritas, comprehendens omnem nefandā pollutionem.
3. Auaritia.

ad sanctitatē vocati sunt, ac propterea gestant imaginem Dei. Sequuntur vitia illa tria quę sunt in sermone: ea prohibet addita ratione, & illorum loco vnam quandam & præcipuam in sermone virtutem commendat, nempe, gratiarum actionem. Primum vitium in sermone est obscœnitas: Hæc est illa quæ alibi αἰσχρολογία dicitur. Secundum est μωρολογία, seu stultiloquium, quo comprehenditur inconsideratus quicunque sermo, qui non est ad ædificationem aptus. Tertium est ἐυτραπελία. Hoc nomine Ethnici Philosophi intelligūt virtutem, quam vrbanitatem vocamus, & honestas illas facetias: sed eo vtitur Apostolus hîc ad significandam scurrilitatem: in causa est, quod facetiæ illæ non tam ad ædificationem, quàm ad voluptatem quorundam cum offensione aliorum comparatæ sint: & quòd difficile sit efficere vt conueniant cū Christiana illa pietate & grauitate. Neque enim nati sumus ad ludum & iocū, sed ad tristitiam potiùs: debet enim vita nostra esse perpetua quædam resipiscentia. Dices annon reperiuntur in scripturis facetè & salsè dicta? Resp. Salsè dicta quidem in scripturis reperiri: Sic Deus ipse salsè excipit primos homines, Ecce homo factus est sicut vnus ex nobis cognoscendo bonum &

Tria posteriora sunt in sermone: nempe

4. Obscœnitas.

5. Stultiloquium.

6. Scurrilitas quam falso nomine vrbanitatem nonnulli appellarunt.

Non enim nati sumus ad ludum & iocum.

Nec salsè dicta quæ in scripturis occurrunt sunt scurriles, sed

graues, tempestiuæ, & conuenientes redargutiones.

malum: Sic Elias falsè alloquitur sacerdotes Baal: Sic alibi sæpius in Ecclesia reperies, fateor, falsè dicta: sed non dicuntur ista tamē ad hominum voluptatem: verum grauiter & acerbè in inimicos ad Dei gloriam. Verum siue facetè, siue grauiter loquamur, teneamus regulam illam superiorem Apostoli: Sit omnis sermo vester conmodus ad vsum ædificationis, vt gratiam afferat audientibus.

Et tenenda est regula, quæ audientium ædificationē nos respicere iubet.

Obs.1. argumentatur ab eo decoro, quod in sanctos competit. obseruo igitur postquam semel sanctificati sumus, non debemus nosmetipsos inquinamētis huiusmundi rursus cōtaminare. Mirum est homines tam diligentes esse in aliis rebus semel purgatis, in illa noua puritate retinēdis: hic autem, hoc est, in corpore & animo suo semel sanctificatis per Christi sanguinem & Spiritum, tam negligentes in retinenda illa puritate. Imò complures purgant vestes vt se contaminent: sed intelligant velim quanto cum periculo hoc sit coniunctum. Si pergant sic Spiritum illum tristitia afficere, metuendum est ne, vt est in 2. Epist. Pet. 2. 20 vltima eorum conditio fiat deterior priore. 2. Hic vetat impuritatem, & eam quæ in facto est, & eam quæ in verbo est, omnem denique. Sciendum est hanc doctrinam in

Doctrinæ. 1. Sanctificationis studio diligenter incumbere debemus, vitatis mundi inquinamentis.

2. De sectarū impuritate, quæ impuritatis aliquam

ſola eccleſia retineri. Nam ex hæreſib. nulla eſt, quæ non defendat aliquam impuritatis ſpeciem. Imò pontificii arctè tenent titillationes iſtas libidinum impuras non eſſe peccata, ſine voluntatis conſenſu. Nos vero, Deo ſit gloria, damnamus omnē impuritatem, quæ verbo, quæ facto, quæ vel ſola cogitatione, & interiori quouis motu admittitur. Verum eſt quidem inter nos multa impura patrari à multis: ſed aliud eſt per infirmitatem labi, aliud defendere impuritatis doctrinam. Nos, Deo ſit gloria, in Eccleſia noſtra nullā huiuſmodi impuram doctrinam defendimus. Ergo etiam hactenus ſumus illa ſancta Chriſti Eccleſia.

ſpeciem defendunt.

Obiectionis adu. orthodoxos dilutio.

Sed potius. Loco omnium illorum vitiorum, quæ ſunt in ſermone, commendat virtutē in ſermone ſummā, nempe, gratiarum actionem, vt nimirum ſermones illos de rebus obſcœnis, ſtultis, & facetis commutemus gratiarum actione: præſertim cum gratitudo tota noſtra non poſſit reſpondere innumeris Dei beneficiis. *Nam hoc noſtis.* Quia erant ſeductores, qui perſuadebant inanibus ſermonibus iſta quę enumerata ſunt non eſſe vitia, ideo non cōtentus Apoſtolus ſuperiori illo argumento à decoro, deterret eos præterea ab his ipſis vitiis argumento grauiori, nēpe, excluſione

His ſex vitiis in ſermone opponitur gratiarum actio.

Arg. ſumpto à ſummis periculis in quæ impuri homines incidunt.

à regno Dei. Grauem illam sententiam exclusionis primùm proponit, deinde confirmat. Propositionis sentẽtia facilis est, quod ad verba, ait, *Nam hoc*, vrget conscientiam ipsorum, vtcumque persuasum fuit iis, ista non esse vitia. Sed quid est quod nouerunt? nempe, nullum scortatorem, impurum, auarum habere hæreditatem in regno Dei.

Confirmatio à conscientiæ sensu petita.

De his vitiis supra diximus. Nunc tantũ videamus auari definitionem. Auarum, ad exaggerandum hoc auaritiæ malum, breui definitione describit, eum idololatram appellãs. Idololatria duplex est. Primũ idololatria est, qua quis fiduciã collocat in creatura: ideóq; honorem illum Deo debitum creaturæ defert. deinde idololatria est, qua quis profitetur quidem ipsum Deum, sed non colit Deum vt ipse præscripsit verbo suo. Primũ illud genus pugnat cum prima lege: Secundum cum secunda. Auaritia autem idololatria est non secundi, sed primi generis. Nam cum duæ sint creaturæ præsertim in quib. homo relicto creatore collocare solet fiduciam suã: altera homo, de quo sic ait Ierem. 17. 5. Maledictus qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum: altera diuitiç: auaritia collocat fiduciam in diuitiis. Auaritia igitur idololatria est, quia collocat fiduciã in crea

De auaritia, quæ idololatria hîc dicitur.

Idololatria duplex.
1.
2.

Auaritia primi generis est idololatria.

Ratio.

tura: ideóque Col.3.5. dicitur auaritia idololatria. Et auarus ideo idololatra est, quia collocat fiduciam in creatura: ideóque hoc loco etiam dicitur auarus idololatra.

Sed quæritur, An non & aliis omnibus modis vitiosi, idololatrę sunt dicendi, cùm sit aliquid cui ita addicti sunt omnes, vt illud Deo præferant. Rom.16.18. De autorib. schismatũ dicitur, quòd non Deo, sed ventri seruiant: Philip.3.19. De Pseudoapostolis dicitur quod eorum venter sit Deus ipsorum. Resp. verum quidem est illud: esse aliquid cui addicti sunt vitiosi omnis generis, sic vt illud Deo præferant: sed dico hoc speciale esse auaro quod fiduciam suam & spem vitæ collocet in diuitiis, quib. addictus est: ideóq; eum specialiter idololatram appellandum. De his omnib. communiter ait, quòd hæreditatem in regno Christi ac Dei non habent. Hoc est illud regnum, de quo Christus Matth.25.34. Venite benedicti Patris mei hæreditario iure possidete regnum illud, quod præparatum est vobis à constitutione mundi. Regnũ hoc, est immortalis illa gloria: cuius pars est regnum illud, & dominium, quod cũ Christo capite nostro habebimus in creaturas omnes. Dicit regnum esse Christi & Dei. Primùm omnium hoc regnum est Dei Patris, Filij,

An omnes peccatores sint idololatræ.

Responsio ad quæstionem.

Impuri & auari regno Dei excluduntur.

Quid sit illud regnum.

Cuius sit.

& Spiritus S. Deinde Deus dedit illud Christo, & Mediatori, etiam quà homo est: Data est mihi, inquit, potestas omnis in cælo & in terra: quod regnum dicitur Christus rursus Deo ac Patri traditurus, Cor. 15. 24

Quib. datum. Christus denique dedit illud nobis. Porro via qua nos peruenimus ad illud regnum

Qua via ad illud peruenimus. hæc est: Pater adoptauit nos in Christo: in adoptati, filij sumus: quod si filij, inquit Apostolus, etiam hæredes, hæredes autē Dei, cohęredes vero Christi. Atque hęc est illa gloriosa hæreditas, quam negat scortatori, impuro, & auaro.

An impuri & auari regno Dei prorsus excludantur. Sed quæritur hîc, An hæc denuntiatio, vt videtur, absolutè sine cōditione resipiscentię accipienda sit? Resp. facilis est ex 1. Cor. 6. 9. & seq. vbi postquam denunciauit idem iudicium aduersus hæc & talia vitia, addit deinde, Et hoc eratis nonnulli, sed abluti

Responsio ex ipsius Pauli verbis petita estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis. Ergo qui aliquando fuerunt scortatores, auari, impuri, &c. sanctificati sunt & iustificati, ac proinde seruati. Ergo hæc mala non sunt ita deplorata, quin iis resipiscentiæ remedio succurri possit. Quare cùm per resipiscētiam instaurari possint, qui his vitiis contaminati sunt, intelligenda est necessariò in huiusmodi denunciationibus resipiscentiæ conditio.

6 *Ne quisquam vos seducat inanibus sermonibus: propter hæc enim venit ira Dei in homines contumaces.*

Ne quisquam. Hactenus fuit propositio grauis illius sententiæ. Ante confirmationem inserta est breuis quædã admonitio. *ne quisquam vos seducat.* Paul.1. Cor.6.9.in simili sententia & denunciatione vtitur simili admonitione. Ne errate, inquiens, neque scortatores, neque idololatræ, &c. regni Dei hereditatem possidebunt. Quæ autem causa esse potest? An tam crassum fuit eorum iudicium de his vitiis, vt putarent, homines his ipsis contaminatos, regnum tamen Dei possessuros? Resp. verum quidẽ est illud Apost. Sicut non visum est iis Deũ in notitia retinere: ita tradidit eos Deus in mentem omnis iudicij expertem, vt facerent quę minimè conueniebat, &c. Sed hîc intelligimus ex eod. illo cap.6.1.ad Cor. ex 2.Petr.2.& ex Epist. Iudæ extitisse in prima illa Ecclesia quosdã impuros canes potius quam homines qui gratiam Christi transtulerunt in petulantiam, quíque conati sunt persuadere scortationem reliquámque impuritatem tantum in rebus adiaphoris esse. Ideóque, & hîc, & illîc grauiter denuncians admonet, ne seducantur ab huiusmodi hominibus.

Confirmatio præcendentis propositionis quam breuis admonitio præcedit.

Causa huius admonitiõis.

Ex aliorum locorũ collatione petita.

Denũciationis, seu propositionis cõfirmatio.

Sequitur nũc confirmatio denunciationis. Sumpta est ab experientia grauis iudicij in filios infidelitatis. Nam, inquit, propter hæc venit ira Dei in homines contumaces. Per *iram* intelligo iudicium profecti ab irato Deo. Dicit iram *venire*, hoc est solere venire super filios infidelitatis. Quod si super eos veniat, ergo quodã modo fuit supra eos & in loco quasi superiori vt in cœlo, ex quo delapsum incidit super eos, ac incidens obruit. Appellat filios infidelitatis: hoc est, ex hebræa phrasi addictos infidelitati, qui obdurarunt ceruicem, & animum obfirmarunt. Ideóque propter duritiem suam, & cor quod resipiscere nescit accersunt sibi illud iudiciũ, præsertim verò thesaurizant sibiipsis iram in diem irę & patefactionis iusti iudicij Dei.

Ira, quid.

Super quos, nempe filios infidelitatis.

Qui describuntur.

Doctrinæ.

Obs. 1. Priùs quidem argumento ab illo decoro, quod competit in sanctos, dissuasit hæc vitia. Nunc verò iudicia Dei aduersus eadem denunciat. Causa apparet in admonitione, nempe, quia impuri quidam homines seducebant ipsos ad peruersè iudicandum de his vitiis: quasi verò omnino non essent vitia. Obseruo igitur: Omni tempore ad dehortandum à vitiis, vtendum est mitiorib. argumentis, sed si videamus præoccupatos ab aduersario, & ita iam sedu-

1. Quæ methodus sequenda sit in vitiorum reprehensione.

ctos vt credāt vitium non esse vitium, peccatum non esse peccatum, tum argumenti genus maxime efficax ad eripiendos miseros è potestate diaboli & impostorum sumitur, à iudicio Dei: quos enim non alliciunt argumenta mitiora, ab officio christianorum, à præmio vitæ æternæ, eos à peccato absterrebūt iudiciorum cōminationes.
2. Ait, Nostis hoc nullum scortatorē, &c. tum subiūgit, Nemo vos seducat. In natura nostra corrupta ea est efficacia erroris & deceptionis vt, quum sciāt homines peccatū esse peccatū, & iudicium Dei manere peccatum: tamē ita fascinentur, vt videatur ipsis peccatum non esse peccatum, ac proinde nullā esse eius pœnam. Quare debemus semper suspectā habere nostram ipsorum naturam, debemus etiam vitare cōsortium impurorum hominum. Extiterunt omni ętate & adhuc sunt non tā homines, quàm impuri canes, quorum hæ sunt voces: Scortatio annon naturale & vsitatum quiddam est? Aduersus eos qui sunt sub gratia Deus non erit crudelior? Cùm fecerit nos ex nihilo, non erit carnifex noster. Infirmitas naturæ nos excusat. Hę & huiusmodi voces non sunt audiendæ. Audienda est potius hæc vox è cælo quasi tonans: Nullus scortator impurus, aut auarus hæreditatē habet

2. De iudicij carnis deprauatione, & consortio impiorum sollicitè fugiendo

Reproborum voces.

Quib. cæleste edictum opponendum.

3. Professio externa Euāgelij nihil prodest, si absint pietatis, iustitiæ, temperantiæ, amor, & studium.

in regno Dei. 3. Denunciat idem iudicium aduersus contemptores, vocatos ad Euangelium, cuius experientiā extare solere docet in filiis infidelitatis. Duo sunt hominum genera: alterum eorum, qui cùm vocantur audiunt, & profitentur veritatem: alterum eorum, qui cùm vocantur, non audiunt. Hi sunt filij infidelitatis, quos nihil manet, nisi extremum iudicium. Sed sciant illi qui profitentur veritatem, si contaminarint se denuò iisdem vitiis quib. sese polluunt infideles, professionem illam externam nihil ipsis profuturum, neque effugituros se idem illud iudicium contumacium hominum.

Teste hypocrita illo, cuius meminit Christus.

Matt. 22. in parabola legimus inter cęteros ad nuptias regales vocatum quendam non indutum veste nuptiali. Is paruit quidē vocanti, venit ad nuptias, accubuit: sed cū inuentus est sine veste nuptiali, nihil illi profuit externa illa obedientia, nihil professio amicitiæ. Nihil prodest externa professio sine interna vitæ sanctimonia. 4. Experientia iudicij statuitur in filiis infidelitatis.

4 Felices illi sunt quem faciunt aliena pericula cautos. De vsu iudiciorum Dei.

Multæ sunt rationes quibus vtitur Deus ad suos continendos à peccato, inter quos & hæc vna est, nempe, apprehensos reprobos & infideles in conspectu suorum quasi flagellat, vt discant illorum exemplo fideles Deum suum vereri. Non secus ac si prudēs

pater deprehensum in peccato seruum puniat præsentib. liberis, vt eo exemplo supplicij de seruis sûpti, liberi cautiores sint. Ecce misericordiam & seueritatem Dei, inquit, Paulus: In filios, inquã ego, misericordiam, in seruos seueritatem, Sed discãt qui loco filiorum sunt seueritate illa Dei in seruos moueri, ne & ipsi similiter peccantes seueritatis illius aliquam etiam partem experiantur.

7 *Ne igitur estote consortes eorum.*

8 *Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis incedite.*

9 *Nam fructus spiritus situs est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.*

10 *Probantes quid sit acceptum Domino.*

Ne igitur. Concludit institutum non concurrendum cum infidelib. ad hæc & huiusmodi vitia perpetrãda. Sentẽtia igitur conclusionis est: Ne estote consortes filiorum infidelitatis in perpetrandis hisce & talib. vitiis, ob quæ venit ira Dei in ipsos. *Eratis enim olim.* Immoratur in conclusione tractanda. Argumentum autem sumptum est à præsenti lucis conditione. Nunc inquit, lux estis in Domino. Ergo ne estote cõsortes eorũ. Sententia est: Spiritus ille sapientiæ & reuelationis, vt est cap. 1. 17. ita Dei cognitione illuminauit oculos mentis vestrę,

Cõclusio præcedentis dehortationis à consortio impiorum.

Hanc concl. firmat argumento sumpto à præsenti piorum conditione.

vt propter illam tantam cognitionem non tam illuminati, quàm lux ipsa dici commereamini. Hoc enim loquendi genus plurimum habet momenti. *Lux* igitur pro illuminatis sumitur. Ait eos lucem esse *in Domino*. Nam quicquid habemus boni, illud totum propter Christum Mediatorem habemus, & in Christo capite. Non contentus nuda propositione huius arg. ipsum exaggerat à priori eorum conditione, *Eratis olim tenebræ*. Sensus est: Olim cũ eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium à circuncisis: tũc, inquam, mentem ita obscuratã habuistis per ignorantiam, quæ ex obduratione cordis fuit, vt non tam obtenebrati, quàm ipsæ tenebræ dici potuissetis. Nam magnum pondus est in hoc loquendi genere. Tenebræ igitur pro ipsis obtenebratis sumuntur.

Qui non modo illuminati, verũ etiam dicuntur lux in Domino.

Olim autem erãt tenebræ. amplificatio à præteritæ vitæ conditione.

Doctrina. Quã necessaria sit anteactæ & præsentis conditionis nostræ recordatio.

Obs. Monet ne sint consortes contumacium hominum. Argumentum autem est à presenti ipsorum fœlicitate. Hanc exaggerat à priori conditione. Vis igitur vitare consortium infidelium? Recordare conditionis tuę pręsentis, quę est in tam clara luce. Vis ponderare, vt par est, conditionem illam tuam in luce? Reminiscere pristinæ ignorantiæ & miseriæ Quis igitur est, qui cum infidelibus & contumacibus præceps

ruit in omne ſcelus? Nempe, immemor vocationis ſuæ, & tantę huius lucis. Miſer homo, etſi fingas apud animũ tuum, nunquam tibi aliud beneficium in vita cõtigiſſe, quã hoc ipſum, quòd natus ſis in has tanta luce Euangelii, beneficium habes inęſtimabile. Quis denique immemor eſt huius lucis? Nempe, immemor conditionis illius priſtinæ, vel ſuæ vel maiorum. Sed hic homo etiam in luce degens, miſerior eſt quouis eorũ, qui in mediis tenebris vixerunt. Nam illi in tenebris cæcutiebant: hic in ſumma luce nihil videt, quæ extrema eſt miſeria.

Vt filii lucis, Rurſus infertur concluſionis ſententia ex argumẽto proximo: cuius partes ſunt duę. altera affirmatiua, qua iubet vt incedant vt filii lucis: altera negatiua, qua vetat ne cõmercium habeant cum operib. illis infrugiferis tenebrarum. Quare prohibens conſortium infidelium (quæ eſt concluſio ipſa inferenda) vnà pręcipit conuerſationẽ in luce. Prior pars in hunc modum tractatur. Primùm proponitur. Deinde explicationis gratia obiter quaſi afferuntur aliquot partes illius cõuerſationis in luce. Tertiò præſcribitur cautio quædam & regula tenenda in conuerſatione huiuſmodi. Prioris partis concluſionis ſententia eſt: Quod ad conuerſationem attinet, incedite

Altera concluſionis ſententia ex proximo arg.

Nẽpe, in luce vt filios lucis, pios verſari debere.

Huius ſententiæ membra.

Expoſitio.

& viuite, vt filij lucis, hoc est, luce prædit
filij lucis qui Nā ex Hebræa phrasi cui addicti sunt, ve obnoxij homines, vel quo prędit sunt, fili cius vocantur. Sic hoc loco prædit illa luc cognitionis Dei in Christo, filij illius lucis vocantur. Eodem sensu 1. Thes. 5. 5. filij De nominantur.

Partes illius conuersationis

Tum obiter innuit aliquot partes illius conuersationis, quas voca: fructus spiritus, hoc est, lucis illius quæ à spiritu accenditur. Partes sunt tres: prima generalis bonitas, quæ in se complectitur omnes virtutes: Reliquę duę speciales, iustitia & veritas. Iustitia est in factis propriè: Veritas in dictis.

Bonitas.

Iustitia.

Veritas.

Additur regula quæ in ista conuersatione obseruanda est.

Postremò est cautio & regula quam pręscribit tenendam in conuersatione ista. *Probantes*. Hoc est, explorantes, & discernentes, quæ sit voluntas Dei bona illa accepta & perfecta. Rom. 12. 2. Et intelligentes quæ sit voluntas Domini: postea eodem hoc c. 17. Ergo cautio est: In tota vita quærenda est voluntas Dei, eáque adhibenda tāquam norma omnium actionum.

Doctrinæ 1. De vsu lucis spiritualis & cælestis

Obs. 1. Quemadmodum data est nobis hęc lux solis, non ad otium & desidiam: nā nox data est ad quietem: sed ad res gerendas, non quidem malè: nam qui malè agit, odit lucem: sed ad res bene gerendas: Ita datus est nobis hic sol cognitionis Dei in Christo, non vt ociemur, sed vt agamus & ambulemus

bulemus, non autem vt agamus malè, sed vt benè, sanctéque agamus. Sic Paulus ad Titum 2.11.12. Illuxit nobis gratia Dei erudiens nos, vt abnegata impietate, & mundanis cupiditatibus, temperanter, & iustè, & piè viuamus in præsenti sæculo. Ergo finis huius cognitionis est, vt benè viuamus. Aufer hunc finem: tum nihil attinet omnia cognoscere. Quo attinet enim destinatum ad finẽ, nisi sit ipse finis? 2. Statuit normam actionum omnium Dei voluntatem. Sint, exempli gratia, duo homines: alter pius: alter impius, versentur illi in vna eademque actione. Iam actio bona est respectu pij, respectu vero impij mala est. Causa est, Pius probat quid sit acceptum Domino: Impius verò sequitur voluntatem suam, nihil inquirens in Dei voluntatem. Cùm igitur tantum virium habeat Dei voluntas ad actiones vitæ, meritò in actionibus omnibus ea nobis exploranda est.

Testimoniũ Apostoli in hanc rem.

2. De actionum omnium nostrarum norma, quæ est Dei voluntas.

1 Et ne commercium habete cum operibus illis infrugiferis tenebrarum, sed potius etiam arguite.

2 Nam quæ occulte fiunt ab istis turpe est vel dicere.

3 Sed omnia dum arguuntur à luce manifesta fiunt: lux enim illud est quod omnia fa-

cit manifesta,

14 *Quapropter dicit excitare qui dormis, & surge à mortuis & illucescet tibi Christus*

Et ne commercium. Sequitur altera pars conclusionis negatiua. Cuius sententia est Ne commercium habete cum operibus filiorum infidelitatis, quæ infrugifera sunt Infrugifera dicũtur non solùm ob id quòd nullum bonum fructum proferant, sed etiam quod acerbum. Nam stipendium peccati mors est. Quæ etiam opera tenebrarum dicuntur, non solum quod è tenebris hoc est, ignorãtia nata sint, sed etiam quod in tenebris perpetrata sint, vt postea patebit. *sed potius.* Rursus illustratur conclusio quasi dicat, Tantum abesse ab eo debetis vt participes sitis illorum operum, vt potiùs ea arguatis & reprehendatis. Argumentum hoc ita tractatur. Primò proponitur. Deinde eius ratio duplex affertur. Propositio itaque est, vt potiùs arguant opera tenebrarum, hoc est, luce verbi adhibita vt audiemus postea, coarguant, ac reprehendant. Ratio prima est ab insigni turpitudine operum istorum quæ occultè fiunt ab ipsis, vt quæ ne nominari quidem possint citra turpitudinem, nedum patrari Causa autem huius tantæ turpitudinis est quia illa opera ex tenebris profecta sunt

Altera pars conclusionis, negatiua.

Nullum commercium cũ infidelib. habendum.

Ratio. Horum opera sunt infrugifera.

Conclusionis illustratio.

Ab officio piorum, cuius duplex ratio proponitur.

Prima, à natura istorum operum.

hoc est, ex Dei ignorantia. Nam si semel occupet ignorantia Dei mentem humanam, nullum scelus est tam graue quod non audeat homo: nihil tam turpe quod non perpetret, modò clam hominibus, à quibus aliquid mali metui, id fiat. Obs. Cognitio Dei & conscientia voluntatis eius, homines à malo retrahunt.

Quæ ex ignorantia Dei profluunt.

Sed omnia. Ratio secunda est ab vsu reprehensionis. Vsus est. Omnia opera tenebrarum dum arguuntur à luce, manifesta fiunt. Sensus est: Etsi quàm maximè occultè & clam fiant illa opera tenebrarum, tamen dum ex verbo Dei reprehenduntur. illa ipsa luce verbi Dei manifestantur, non tam aliis, quàm ipsis operum authoribus. Hunc eundem vsum reprehensionis docet Apost. 1. Cor. 14. 24. &c. Arguitur, inquit, nempe, infidelis, vel idiota, ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, & ita occulta cordis manifesta fiunt, atque ita procidens in faciem adorabit Deum. In verbis autem vnum lucis vocabulum considerandum est hoc loco, Verbũ Dei ab illuminationis effecto, varias sortitur appellationes in Scriptura. Vocatur lux, vocatur dies, vt 1. Corinthiorum 3. 13. & 1. Thess. 5. 5. & quia lux hæc non est mortua aut imbecilla, sed ignita, viuens, & vim probãdi ac explorandi

Altera ratio, ab vsu reprehensionis.

Qui alibi ostenditur ab Apostolo.

Quoniam ea est verbi Dei efficacia, quod non modò lux, sed etiam ignis à potenti effectu dicitur.

ac explorandi habens, 1. Cor. 3. 13. vocatur ignis. Postquam enim dixit diem declaraturum cuiusque opus quale sit, subiungit: Nam per ignem retegetur & cuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Quod prius diem vocauit, posterius ignem appellat. Ergo vt hoc obiter dicam, Ignis illo in loco non est ignis purgatorij, sed verbũ Dei ignitum: quod efficax quidem est ad explorandum & probandum doctrinam omnem fundamento Christo super ædificatam.

Confirmatio istius vsus.

Hactenus explicatus est vsus, sequitur eius confirmatio: luce manifestantur opera tenebrarum. Ratio est quia lux illa verbi Dei omnia manifestat. Argumentum est sumptum ab efficacia illius lucis verbi diuini. Rationem hanc confirmat testimonio quodam in quo promittitur Christum veram illam lucem, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum Christum, inquam, illuminaturũ eum, qui dormit in tenebris peccati. Sed consideremus diligentius hoc testimonium. In eo duo sunt. Primum est mandatum: Secundum est promissio. Mandatum datur dormienti. Qui dormit hoc loco est, qui dormit in peccato: vt accipitur dormire 1. Thes. 5. 6. Ne dormiamus, inquit, vt cæteri.

Sumpto argumento ab efficacia lucis verbi diuini.

Argumenti vel testimonij partes duę sunt.

1. Mãdatum,

Somnus hic grauis est admodum & letha-lis adeò, vt Iudas dicat destinatos homines damnationi, vbi hoc somno semel sopiti fuerint nullis vel horribilissimis Dei iudi-ciis excitari, ne iudicio quidem illo Sodo-mæ & Gomorrhæ. Quæ mandantur dor-mienti huic duo sunt: Primum est, vt eui-gilet. Hæc nimirum est illa vigilia, quam Apost. 1. Thes. 5. 6. opponit somno in pec-catis, Ne dormiamus, inquit, vt cæteri. sed vigilemus, & sobrii simus. Secundum quod præcipit est, vt iam excitatus surgat. Exci-tati è naturali somno surgũt, ita & hic pec cator dormiens excitatus surgit. Sed præ-cipit vt surgat è mortuis. Mortui sunt hoc loco, qui mortui sunt in peccatis & offen-sis, de quibus in Euangelio Ioannis, Hora venit & ecce nunc est, cùm mortui audient vocem Filii hominis, & qui audierint vi-uent. Ergo vides hunc somnum dormien tis hominis lethalem esse. Magnum enim discrimen est inter somnum naturalem & hunc qui est in peccato. In somno natura-li, & si ad tempus sensus constricti tenean-tur, tamen facultates manent integræ: In hoc somno spirituali nulla reliqua est fa-cultas ad vitam spiritualem, vt in homine mortuo nulla est facultas ad vitam natu-ralem.

Nempe vt dormiens ex-citetur.

Et excitatus surgat.

E mortuis.

Non è somno quodam natu rali, sed è som no peccati.

2. Promiſſio. Hactenus mandatum, ſequitur promiſſio. Sententia promiſſionis hæc eſt: Chriſtus, hoc eſt, gratia Dei in Chriſto oblata in verbo, vt eſt ad Titum 2.11. Illuxit gratia illa Dei ſalutifera omnibus hominibus. Gratia, inquam, illa illuminabit hunc hominem ſemel excitatum & erectũ. Quamuis verba videantur velle, primùm excitari & ſurgere dormientem hunc, deinde illuminari: tamen intelligendum eſt vi lucis Chriſti excitari eum & ſurgere. Præcipit enim Deus in ſcriptura, quę ipſe gratia ſua ſola præſtat. Hactenus de teſtimonio.

Cuius ſententia illuſtratur alio Apoſtoli dicto.

Argumẽti huius vel teſtimonij à Paulo prolati, quis author.

De authore huius teſtimonii diſputant interpretes. Non legimus in ſcripturis totidem verbis hanc ſententiam: res tamen ipſa variis in locis reperitur, vt Eſai. 9.2. at 60.1. apertiùs in hanc ſententiam ſcribitur: Surge, luce, quãdoquidem aduenit lux tua. Fieri poteſt vt ſit ſententia quædam Chriſti, cuius illa ætate recens fuit memoria: cu iuſmodi eſt & illa ab eodem hoc Apoſtolo citata ſub Chriſti nomine, Act. 20. 35. Beatius eſt dare quàm accipere. Vt vt eſt, res ipſa in verbo ſcripto reperitur, in quo ſcriptum eſt quicquid ad noſtram fidem & ſalutem eſt neceſſarium.

Doctrinæ.

Obſ. 1. Dixit ſupra, Nam quæ occultè fiunt ab iſtis turpe eſt vel dicere. Ergo iſti

aliquam notitiam ſuorum operum habuerunt: ſciuerant enim ſe malè facere cum occultè facerent. Nam qui malè agit, conſcius mali, odit lucem. Tum poſterius dicit à luce manifeſtari illa opera. Hinc diſcimus lumen naturæ, etſi per illud aliquo modo retegatur peccatum, tamen non miniſtrare perfectam eius cognitionem: ſolam autem illam lucem verbi diuini perfectè manifeſtare peccatum. Multa ſcripta ſunt naturalis huius lucis beneficio à Philoſophis, de virtutibus, de vitiis. Multæ extant exhortationes & παραινέσεις. ſed ſi in vnum congeras omnia illa volumina, plus tamen virinm videbis in decem illis verbis legis Dei, ad manifeſtandum peccatum, quàm in omnibus illis Philoſophorum ſcriptis. 2. Ait, dum coarguuntur peccata, luce manifeſta fieri: vnde obſeruo reprehenſionibus & comminationibus legis manifeſtari peccatum. Doceas aliquem Euangelium vel mille anuos, nihil profeceris, nulla vllo tẽpore facta legis mentione. Quid enim attinet dicere, Remiſſa ſunt tibi peccata, ſi ignoret miſer ſe peccatorem? Atqui per legem, ait Paulus, eſt agnitio peccati.

1. De efficacia luminis naturæ & lucis verbi diuini.

2. De manifeſtatione peccati per reprehenſiones & comminationes legis.

Viderint hoc homines iſti delicatuli, qui ferre non poſſunt reprehenſiones

Aduerſus Antinomos & Epicureos.

illas quæ ſunt ex verbo Dei. Certè ego diuinare non poſſum, quo tãdem modo impatientes iſti lucori ſunt intolerabiles illos cruciatus inferorum. 3. Ait luce manifeſtari peccata. Quid cauſę putas eſſe cur Satan & homines impij odio proſequantur & oppugnent tam ſtrenuè hanc lucem veritatis? Quid cauſæ cur vix cẽteſimus quiſque eam amplectatur: totus vero mundus ſequatur hæreſes & idololatriam? Hæc vnica eſt: opera tenebrarum luce manifeſtantur. Sic enim ipſe Chriſtus loquitur: Mundus odit me, quia teſtificor de mundo, quòd opera eius mala ſunt. Profectò non eſt illud ſine ſumma Dei gratia, quòd homo peccati ſui conſcius poſſit ferre ſibi illucentem vllo tempore iſtam veritatis lucem.

3. De cauſa implacabilis illius odijque Satan & reprobi feruntur in Euangelij doctrinam.

15 *Videte igitur quomodo accuratè incedatis, non vt inſipientes, ſed vt ſapientes:*

16 *Redimentes occaſionem, quoniam dies mali ſunt:*

17 *Propterea ne eſtote imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Domini.*

Videte igitur. Hactenus fuit præceptum ſeptimum. Sequitur octauum, cuius arrepta eſt occaſio ex proximo loco. Primum proponitur: deinde exponitur: tertiò repetitur ac concluditur. Propoſitio eſt, videte

VIII. Octauum præceptũ, Sapienter vitæ curſum inſtitue-

igitur quomodo accuratè incedatis. Sententia est: Cùm vos vt filij lucis debeatis arguere per lucem,& manifestare aliorum peccata quæ in occulto fiunt,videte vt ipsi sitis circunspecti. Nam carere debet,quantum fieri potest,omni vitio,qui in alterum paratus est dicere. Præcepti sententia.

Sequitur expositio his verbis,*non vt insip.* &c. Quibus in verbis videmus duo requiri ad circunspectam vitam. Primum est Sapientia. Sapientiam ipse exponit postea intelligentiam voluntatis Dei: Alterum est, vt cognitionem hanc voluntatis Dei in praxin redigamus, quacunque se offerente occasione: sic vt nullam eius redigendæ in praxin occasionem prætermittamus: imo vero redimamus vel rebus maximè charis vt voluptatibus nostris,bonis,imò, si opus sit, ipsa vita nostra,occasionem faciendi ex voluntate Dei. Locutio ipsa videtur sumpta esse à mercatoribus, qui voluptate,quiete,imò vitæ ipsius discrimine, redimũt occasionem quæstus sui faciendi. Quod autem his verbis habeatur præcepti expositio clarum est ex illo loco Col. 4.5. in quo idem præcipitur quod hoc loco: gerite, inquit, vos sapienter erga extraneos, redimentes opportunitatem. Idem est hoc reipsa cum eo,quod hîc dicit:videte quo-

Expositio, duo requirĩs ad vitam circunspectam. Intelligẽtiam volũtatis Dei. Huius intelligẽtiæ praxin.

Vnde sumpta sit Apostoli locutio.

Expositionis confirmatio.

modo accuratè incedatis,&c.

Ratio præcepti περιπατεῖν ἀκριβῶς reddita.

Quoniam dies mali sunt. Hæc est ratio cur redimant occasionem. Sensus est: Cùm tot passim sint scandala, tot corruptelæ in hoc tempore, vt difficile sit, vel maximè pia, inter tot spinas sine læsione aliqua incedere: cùm tempus totum ita à Diabolo corruptum sit vt nulla eius pars Deo consecrari possit, nisi redimatur: Ideò redimite occasionem vel rebus charissimis, Hebræi dies malos vocant tempora difficultatum & asperitatis plena. Gen. 47. 9. Pauci, inquit Iacob, & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ.

Repetitio eiusdem & conclusio.

Propterea. Hæc est præceptio repetita & conclusa, de qua hoc tantum in præsentia dicimus. Quam priùs vocauit sapientiam, nunc ipse exponit intelligentiam voluntatis Dei. Quam expositionem etiam nos antea secuti sumus.

Doctrinæ.
1. De discrimine sapientiæ Spiritus Dei & mũdi huius.

Obs. 1. Dies mali sunt, inquit: Ergo redimenda occasio. En differentiam sapientiæ SpiritusS. & sapientiæ mundi huius. SpiritusS. sic argumentatur: Dies sunt mali: Ergo redime occasionem, quæ facias ex Dei voluntate. Mundus verò sic: Dies mali sunt: Ergo tibi viuendum est pro conditione temporum: quid enim potes miser aliud facere? Corruptioni tẽporis num po-

es resistere? 2. Dies mali sunt, inquit: Ergo quibuscunque rebus, vel charissimis, voluptate, diuitiis huius mundi, vita denique ipsa, si opus sit redimas occasionem faciendi ex Dei voluntate. Obseruo igitur: Qui amant mũdi huius voluptates, diuitias, vitam denique ipsam, nullam profectò occasionem Deo vnquam mercabũtur, parumque idonei mercatores inuenientur ad vsus Dei. An dicam parum circunspectè viuere istos homines, alioqui tam prouidos, tam attentos ad rem, ad voluptates, & omnia denique, quæ ad vitam præsentem pertinent? quod paradoxon fortasse aliquibus videri potest. Imò dicam miseram esse illam sapientiam quæ facit, vt desipiamus in rebus cælestibus. Quare si quis sibi videtur esse sapiens in hoc seculo, stultus fiat, vt fiat sapiens. 1. Cor. 3. 18. 3. Iubet accuratè incedamus. Ad hoc requiritur intelligentia volũtatis Dei. Intelligẽtia hæc non debet esse ociosa, sed in praxin & vsum redigenda est & redimẽda est omnis occasio faciendæ volũtatis Dei nobis iam intellectæ: in causa sunt dies mali: Ergo dies mali causa sunt, cur circunspectè nobis viuendum sit. Quamobrem si vnquam hominib. christianis fuit circunspectè accuratéque viuendum, & hoc tempore maximè, quo

2. De summa hominum mũdanorum dementia & miseria.

3. De accurata vitæ Christianæ institutione.

mundus nō tam decrepitus est, quàm agit extremam animam, & omnis iniquitas abundit. Qua in re quod mihi videtur dicā. Multi queruntur hodierno die, de corruptione temporum: interea tamen cum temporibus non inuiti corrumpi se patiuntur vitaq; eorum nihil differt à vita seculi huius. Nobis autem potiùs danda est opera vt circumspectè viuamus in temporibus, quàm queramur de temporibus: Nam quo peiores sunt dies, si nos interea circumspectè viuamus, eo profectò maior futura est gloria nostra.

Aduersus corruptos seculi nostri mores.

18 *Et ne inebriamini vino in quo luxus est, sed implemini Spiritu:*

19 *Loquentes inter vos mutuo, psalmis & hymnis, & cantionibus spiritualibus canentes ac psallentes in corde vestro Domino.*

20 *Gratias agentes semper de omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri.*

Et ne inebriamini. Nonum præceptū, cuius occasio ex proximo arripitur. Sic autē tractatur. Primum proponitur: deinde eius ratio redditur. Ne, inquit, inebriamini vino. Sensus præcepti est: Cum circumspectè viuēdum sit, cumq; nihil magis inimicum sit accuratæ & circumspectæ vitæ, quam

IX. Nonum præceptum, fuge ebrietatem.

brietas:ne igitur inebriamini vino. Deinde quò ad hoc magis moueat, addit rationem: quod ebrietas, quomodocunque fiat vt illi voluptatem ex ea capiant, vitium tamen sit & luxus. Nomen hoc propriè significat eam, quam vocamus vulgo prodigalitatem, hoc est, immoderatam profusionem bonorũ. Pet. 1. Epist. 4. 4. luxũ profusionẽ vocat. Verũ puto hoc loco significare intemperantiam, qua quis voluptatib. & ventri supra modum indulget. Nam intempetantia ferè comes est prodigalitatis, & prodigus est ferè & libidini & ventri deditus.

Ratio. Quia in ebrietate est luxus, seu intẽperantia.

Sed implemini. Ebrietatis loco commendat Dei Spiritum. Est autem hoc præceptũ decimum. Allusio est ad illã impletionem quæ fit per vinum immoderatè sumptum: cuius loco commendat Spiritus sancti impletionem. *Loquentes inter vos mutuo Psalmis, & Hymnis, & cantionibus spiritualibus.* Inducit quasdam hilaritatis partes, quæ ex illa Spiritus plenitudine sequuntur. Scimus ex ebrietate procedere impuram lasciuiam diuersi generis, in sermone, in cantu, in actione: Sic ex hac spiritus plenitudine procedit pura quædam hilaritas, cuius hîc duæ partes enumerantur: vna est cantio: altera gratiarum actio. Cantio explicatur per partes, per instrumẽtum præ-

x. Decimum Præceptum, Nõ vino, sed Spiritu S. impletor.

Effectus huius sobriæ & spiritualis ebrietatis.

Pura nempe hilaritas, cuius partes duæ.

1. Cantio, in qua considerantur.

cipuum & per eum, ad quē dirigitur. Partes sunt, Psalmi, Hymni, & cantiones si-proprie dictæ, Psalmi sunt cantiones, cuiuscunque argumenti. Hymni sunt cantiones laudis. Cantiones deniq; propriè dicta sunt laudis quoque, sed artificiose magis quam hymni compositæ & augustiori forma. Hæ partes cantionis, spirituales dicuntur omnes, quod à Spiritu procedant, ipsiusque plenitudine. Instrumentum præcipuum est cor, non lingua solum, qua sola cantant hypocritæ, sed cor præcipuè. Postremò Dominus is est, ad quem dirigitur cantio, vt ipse glorificetur. Sequitur altera pars spiritualis hilaritatis, Eucharistia siue gratiarum actio. Deus Pater est, cui gratiæ agi debent, nempe, prima persona trinitatis, sed in mediatore Christo. sine quo nihil est acceptum Deo Patri. Omni tempore agi debent, quia nullum est tēpus quo eius beneficia erga nos non experimur. De rebus deniq; omnib. agi debent, quia omnia sunt ab eo, tam temporalia quam spiritualia bona, tanquam à primo fonte bonorum omnium.

Partes, nēpe Psalmi, Hymni, & Cantiones spirituales.

Instrumentum.

Dominus, ad quē dirigitur cantio.

2. Gratiarum actio.

Cui.

Quando.

Propterquid.

Obs. 1. Omnes homines natura quærunt causas lætitiæ & hilaritatis, quia omnes læti esse volumus. Hic duæ afferuntur: Ebrietas & plenitudo Spiritus sancti. Hæ

Doctrinæ.

1. De ebrietate illa epicurea fugienda.

ita inter se opponuntur, vt vbi vna sit, altera esse non possit: vbi enim ebrietas dominatur, ibi exulat ratio ipsa, vt nihil de sancto Dei Spiritu dicam. Videant igitur homines, num velint lætari ebrietate cum tristitia Spiritus sancti ipsos deserentis.

2. Iubet loqui mutuò inter se Psalmos & Hymnos, &c. quo significatur ad mutuam ædificationem oportere tum loqui, tũ Domino psallere. Obserua igitur spiritualem hanc hilaritatem inseruire tum ædificationi proximi, tum gloriæ Dei. Longè aliter res habet in impura illa hilaritate, quę est ex ebrietate: nam tota est ad offensionem proximi, & Dei ignominiam comparata, Neque offensio est, vt nunc sunt tempora, in exemplo solùm (nam ebrij hominis deforme spectaculum satis alioqui offendit) sed etiam in verbis contumeliosis, quibus ebrietatis vitio addicti, alios incusant tanquam abhorrentes ab humana societate, si non simul ebrietate sese contaminarint. Non est hoc nouum. Idem factum fuisse à Gentibus in principio aduersus eos qui conuersi erant ad veritatem Christi testatur Petrus 1. Epist. cap. 4. vers. 4. & sequentibus: Cuius verba sunt, Quare illi, inquit, non concurrentibus vobis ad eãdem luxus profusionem, peregrinari

2. De falsa et vera hilaritate.

Puræ hilaritatis commoda.

Impuræ incommoda & pericula.

Scandalum.

Turpitudo.

Contumeliæ.

Ebrietatis cultores Ethnicorum Socij.

Quale præmium suæ ingratitudinis sint reportaturi.

sibi videntur blasphemantes. Sed audi quod iudicium pronuntiet aduersus hoc genus hominũ. Qui, inquit, reddituri sunt rationem ei, qui paratus est ad iudicandũ viuos & mortuos. Idem iudicium adhuc manet nostri sæculi impuros homines nisi tempestiue resipuerint.

21 *Subiecti alij aliis cum timore Dei.*

Absolutis decem præceptorum ad quamcumque hominum cõditionem cõmuniter pertinentium explicatione descendit ad specialia illa quæ certas hominum conditiones respiciunt.

Subiecti. Absolutis præceptis illis specialibus, quæ tamen communiter pertinebant ad quamcunque hominum conditionẽ: descendit ad specialia illa, quæ specialiter pertinẽt ad certas hominum conditiones, vt mariti & vxoris, parentum & liberorum, domini & serui. Omnes hæ conditiones communiter ad familiam pertinẽt: Ideoq; œconomicæ vocantur, hoc est, pertinentes ad informationem familiæ. Ex his omnib. alia est conditio superior, alia inferior: superior mariti est, inferior vxoris: Superior parẽtis, inferior liberorũ: Superior domini, inferior seruorũ. Ob hanc causam præcepta dantur vtrique, primùm inferiori, deinde superiori conditioni: vt videbimus. Priusquã veniat ad particularia præcepta, præmittit generalem admonitionem propriè & peculiariter spectantem ad inferiores. Admonitio est: Subiecti sitis alij

Et præmittit generalẽ admonitionem ad inferiores.

aliis

aliis &c. Deus qui author est omnis ordinis constituit, vt sit ordo in omni politia & republica. Ordinem autem hunc voluit esse nō inter pares omnes (nam ea est confusio, non ordo) sed inter impares: Superiores, qui imperent aliis: Inferiores qui obediant. In omni republica hæc considerantur. Primùm ipsa respublica tota, deinde priuatæ familiæ, postremò singulares homines. In omnibus his ordinem hunc dominij & subiectionis suo quodam modo voluit esse. In republica voluit esse magistratus & subditos. In familia voluit esse maritum & vxorem: parentes & liberos: dominum & seruos. In vno eodémque homine voluit eundem hunc ordinem esse in facultatibus animi, quarum aliæ superiores sunt, vt ratio: aliæ inferiores, vt appetitus. Qui quidem ordo per lapsum hominis perturbatus est: ex parte autem restitutus est nobis in hac vita per Christum. Necessitas huius ordinis ea est, vt, si eum tollas, nihil loci reliquum sit futurum præstandis aliis officiis. Qua in re videre potes mirificam Dei sapientiam in disponendis præceptis secundæ tabulæ. Prępofuit quidem cæteris præceptum ordinis, & obediētiæ: nimirum ea re significans opus esse obedientia inferiorum ad officia reliqua quæ in lege re-

Et ad Deum εὐταξίας authorem respiciant.

Ordo triplex.

Politicus.

Oeconomicus.

Singularis.

Huius triplicis ordinis perturbatio, instauratio, necessitas.

Dispositio.

Auctoritas & dignitas, aduersus phanaticos asserta.

quirũtur facienda. Nolo hîc digredi in reprehensionem hominum phanaticorum, qui abutuntur nomine christianæ libertatis ad tollendos è republica magistratus, & æqualitatem omnium, hoc est, horribilem confusionem stabiliendam.

Quid hæc generalis admonitio requirat.

Vt igitur redeamus ad nostrum institutũ: Requiritur hac generali admonitione ordo iste eminentiæ quidem aliorum, subiectionis verò aliorum: ídque propter timorem illum quem Deo summo regi omnium debent. Quam rationem vt intelligamus, tenenda nobis est regula quædam in interpretandis legis præceptis: Ea autem est, quod primum præceptum debeat includi cæteris omnibus: quia obedientia primi præcepti est causa impulsiua & finalis reliquorum omnium: alioqui enim si non sit causa impellens, & finis omnium actionum tuarum Dei obedientia: quicquid feceris, non censebitur illud Dei cultus: verum simulata potiùs hypocrisis. Hęc est illa regula à Paulo præscripta 1. Cor. 10. 31. Siue editis, siue bibitis, siue quid facitis, omnia ad Deì gloriam facite. Paulus igitur in hac admonitione, cùm debeat timor Dei esse causa impellens ad obedientiam præstandam hominibus, requirit vt alij aliis subiiciantur propter timorem hunc Dei. 1.

Timor & amor Dei omnium aliarum subiectionum circulus, vinculum, & regula.

A Paulo præscripta.

Obser. Præcipit subiectioné idque propter timorem Dei: Obseruo igitur timorem Dei esse causam cur homines se alij aliis subiiciant. Nam cùm nihil magis contrarium sit humano ingenio, quàm parere aliis, solus est hic timor propriè qui indomitam alioqui illam naturã subigit. Intelligendũ autem est duplicem esse timorem, alterum Dei, alterum hominum. Si conentur homines alij, relicto Dei timore, sui duntaxat timore homines alios coërcere & in ordinem cogere, videant ne id tyrannicum magis sit, quàm legitimũ imperium, & non perpetua sit futura illa coacta obedientia. Sin vero timore Dei illos continuerint, legitimum est hoc imperium & obedientia perpetua, vt quę voluntaria sit, futura est. Permagni interest magistratum ciues suos in vero Dei timore iam primùm instituendos curare, si velit fœliciter regnare. Alioqui nihil proderunt omnia etiam tormenta adhibita ad subigendam hominum ferocitatem.

Doctrina. De eximio timoris Dei effectu.

Timor duplex est.

Timor hominum.

Timor Dei. Admonitio ad magistratum.

22 *Vxores, propriis viris subiectæ estote vt Domino.*

23 *Quoniam vir est caput vxoris, vt et Christus est caput Ecclesiæ, & is est qui salutem dat corpori.*

24 *Itaque sicut Ecclesia subiecta est Christo,*

ita & Vxores suis Viris subiectæ sunto in omnibus.

1. Primũ præceptum particulare & œconomicum.

Vxores. Sequuntur particularia præcepta, quibus generale illud tanquam partibus explicatur. Primùm præcipitur viro & vxori, vt qui in familia præcipuam obtineant conditionem. Primùm autem præcipitur vxori subiectio. Quę vt intelligatur paulò altiùs quædam sunt repetenda. Naturâ ipsa subiecta est mulier viro, in politicis, Ecclesiasticis, & domesticis. De politicis magis operosum esset nunc dicere. De Ecclesiasticis verò vt dicam, Paulus aliquot argmumentis probat eam subiici debere in Ecclesiasticis rebus. In priore ad Cor. 11 8. 9. duo habet argumenta. alterum: Vir non est factus ex muliere, sed mulier ex viro: alterum, Vir non est factus propter mulierem, sed mulier propter virum. 1. Tim. 2. 13. 14. duo similiter affert. 1. Vir primùm factus est, deinde mulier. 2. Adam non est seductus, sed mulier seducta, causa fuit transgressionis. De domesticis postremò vt dicam, sic de iis præcipitur à Deo Gen. 3. 16. Erga virum tuum appetitus tuus esto & ipse potestatem in te habeto: hoc est, tum lege naturæ, tum infirmitatis tuæ sensu dominium eius appetito. Atq; hæc de subiectione vxoris, cuius præceptũ leges etiam

Vxoris subiectio.
In rebus Politicis.
In Ecclesiasticis.
Ratio prima.
Altera.
Tertia.
Quarta.
In domesticis

alibi, vt Coloss.3.18.1Pet. 3.1.

Officia subiectionis plenè recensentur, Prouerb 31. quo loco officia præcipit partim spiritualia, partim corporalia. Corporalia,& quæ ad maritum pertinent, & quæ ad totam familiam. Ad maritum: vt cum lege naturæ tum sensu infirmitatis suæ dominium eius appetat & ægritudines eius toleret. Ad totam familiam: vt toti familiæ pensum & escam distribuat. Spiritualia sunt vt, bene composito priùs animo, sermo deinde sit sapiēs & tota vita sit sancta. Officia subiectionis. Corporalia. Respectu mariti. Totius familiæ. Spiritualia.

Subiectionem hanc commendat Paulus similitudine subiectionis & obedientiæ, quam vxores debent Domino: Vt Domino estis subiectæ, ita subiectæ estote maritis, Comparatio hæc est, non in æqualibus sed similibus. Nam non æqualiter subiici debent vxores Domino & maritis. Argumentum hoc plus ponderis habe, quàm si argumentatus fuisset à Domini ordinatione. Plus enim est, si dicas: Subiectæ estote maritis vt Domino, quàm si dicas, quia Dominus ordinauit eam subiectionem. Hoc enim modo consortes quodammodo ipsius Domini fiunt mariti. Commendatio huius subiectionis, à dignitate legislatoris sumpta.

Subiectionem deinde confirmat duabus rebus, quibus mariti similes sunt Domino. Prior est, vt Dominus est caput Ecclesiæ, A præstantia mariti.

Qui caput est vxoris. ita maritus est caput vxoris: Idem habet 1. Cor. 11. 3. Velim autem vos hoc nosse Christum esse, caput omnis viri, mulieris autem caput virum, Christi vero caput Deum.

Et conseruator eius. Posterior est, vt Christus est seruator corporis sui: ita maritus seruator est suo quodam modo vxoris suæ. Quicunque enim superior est, regere & defendere debet inferiorem, atque ita & capitis, & seruatoris partes agere.

Collationis inter christum & maritum conclusio. Tandem concludit similitudinem: *Itaque sicut Ecclesia subiecta est Christo: ita & vxores suis viris subiectæ sunto in omnibus.*

Quæ sit ista vxorum subiectio. Ait, in omnibus: quænam sint ista satis intelligi potest ex similitudine. Domino subiectæ sunt vxores in piis, licitis, & honestis: sic in his ipsis tãtùm maritis subiectæ sunt. Si autem contra Deum præcipiant mariti, tum illud locum habet, Præstat obedire Deo quàm hominibus.

Doctrinæ. 1. De superiorum & inferiorũ consideratione perpetua. Obs. 1. Vxores iubet subiici viris, vt Domino. Ergo superiores quicunque Domino similes sunt, gestántque eius quasi imaginem: quod certè verum est, nam dominium pars aliqua est imaginis illius Dei in homine. Videant ergo superiores ne committant quod indignum sit hac imagine: videant rursus inferiores ne violent hanc ipsam Dei in superioribus impressam ima-

ginem. Imaginis enim ſuæ vindex certò futurus eſt Deus. 2. Iubet ſubiici maritis, vtDomino,cui ſimiles ſunt mariti in duobus,vt diximus.Sivelint itaque ſuperiores ſubiici ſibi inferiores vt Domino, videant ſint capiti inferiorum, vt Dominus caput eſtEccleſiæ,hoc eſt,vt verè & legitimè ſuperiores ſint, ac præſint aliis:videant vt procurēt ſalutem inferiorum,vt Dominus eſt conſeruator corporis ſui. Si hęc ſint, ſubiicientur inferiores illis vt Domino:ſi hæc non ſint,tale obſequium fruſtra expectent. 3. Duo ſunt hîc attributa ſuperiori: caput eſt primùm, deinde ita caput,vt ſit quoque conſeruator.Obſerua igiturpoteſtatem omnē ordinatam à Deo in bonum hominum. Rom. 13. 4. Dei enim miniſter eſt tuo bono. Ne igitur accuſent homines Deum, tanquam crudelem, quod aliorum libidini ipſos ſubiecerit: nam hoc in ipſorum bonum factum eſt.Quod ſi ſecus eueniat, vel hoc imputent ſibi, ſi malè meriti ſint de Deo:vel abuſui poteſtatis, non autem poteſtati & ordinationi diuinæ.

2. De ſuperiorum officio erga inferiores.

3. De ciuilis poteſtatis vtilitate.

Aduerſus huius ordinis politici hoſtes.

25 *Viri diligite vxores veſtras, ſicut et Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea.*

26 *Vt eam ſanctificaret, poſtquam eam purgaſſet lauacro aquæ per verbum.*

27 *Vt sisteret eam sibi gloriosam, id est ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed vt esset sancta ac inculpata.*

Descripto vxorum officio, virorum officium ostendit, quod in dilectione consistit, & aliis locis ab Apostolo explicatur, vt etiam à D. Petro.

Viri diligite. Præcipitur vicissim officium viri erga vxorem. Præceptum est, diligite vxores vestras. Idem pręcipitur Col. 3.9. 1. Pet. 3.7. Petrus coniungit eo loco cum dilectione honorem, vxori vt vasi infirmiori tribuendum: Qui quidem positus est in regendis & tolerandis infirmitatibus vxoris cum sapientia ac prudentia. Paulus 1. Cor. 11.11. toti sexui æstimationem suam tribuit. Nam postquam eminentiam & potestatem viri probauit hoc argumento pręsertim, quòd vir nō sit ex muliere, sed mulier ex viro: nę putarent viri eminentię huius ac potestatis nullum esse modum, subiungit deinceps, Attamen neque mulier est sine viro, neque vir sine muliere in Domino: nam quemadmodum ex viro mulier fuit: ita vicissim per mulierem vir est. Vide igitur compensationem. Petrus & Paulus longè aliter loquuntur de illo sexu quàm Philosophi illi, & Poetæ ethnici. Sed vt sinamus naturales naturaliter, hoc est, corruptè loqui. Loquamur nos de illo sexu, déque aliis omnibus rebus, vt christianos decet.

Sicut & Christus. Hæc ratio est à simili exemplo Christi. Eadẽ adhibita est in principio capitis, ad cõmendandã charitatem & dilectionem proximi. Fundamentum rationis huius superius positũ est: Vt Christus est caput ecclesiæ, ita vir vxoris. Hinc sequitur, vt Christus dilexit ecclesiã: ita debet vir vxorẽ diligere. Nã coniunctionem illã Christi capitis & membrorum, causam statuit dilectionis Christi postea hoc eodẽ cap. vers. 30. Vides igitur qualis amor hîc requiratur. Christi amor castus est & purus, Talis debet esse amor viri erga vxorem. Sed vt de amore hoc aliquid præterea dicamus: Paulus ait 1. Cor. 9. 5. Annon potestatem habemus circumducendi sororem vxorem, vt reliqui Apostoli, & fratres Domini, vt Cephas. Vbi vides vxorem sororem etiam esse, ac proinde diligendam, non tantum vt vxorem, verumetiam vt sororem in Christo. Paulus commendans Onesimum fugitiuum seruum Domino suo Philemoni, admonet eum plus quàm seruum esse, nempe, fratrem dilectum in Domino. Ita ego affirmo vxorem Christiani hominis plus quàm vxorem, etiam sororem dilectam in Domino, ac proinde diligendam etiam vt sororem in Christo, non modò vt vxorem. Quod de seruis dico &

Prima ratio cur viri debeant diligere vxores suas sumpta ab exẽplo Christi.

Ex quo exemplo colligitur qualis esse debeat amor mariti erga vxorem.

Nempe sincerus.

Fraternus.

De fraterna piorum dilectione digressio.

Vxor Christiana est vxor & soror.

Princeps Christianus est etiã subditi sui frater in Christo.

vxoribus, idem dicere possum de vocationibus quibuscunque in Christiana republica. Amplius est quęcunq; vocatio quam ipsa illa vocatio. Princeps christianus amplius est quàm princeps, nẽpe, frater etiam subdito suo in Christo. Subditus etiam amplius quàm subditus principi suo, nẽpe, frater dilectus in Christo. Pater amplius quàm pater filio, nẽpe, frater in Christo, & sic de cæteris. Inter gẽtes enim fuerunt etiam hi omnes hominũ status, sed magno discrimine. Non fuit princeps amplius quàm princeps apud eas: non ciuis amplius quã ciuis, quia illæ sine Christo erant, sine Deo in mundo. Maneat igitur illud; Inter Christianos vnamquamq; vocationẽ esse quiddam amplius, quam vocationẽ hanc vel illam: omnes esse fratres & sorores in Christo Iesu. Ideóque præter illam, quæ ex officio & vocatione debetur, dilectionẽ deberi etiam aliam, quia omnes inuicem fratres sumus & sorores in Domino. Non vident hoc nisi qui in Christo sunt.

Pater, filij sui frater in Christo.

At Ethnicus nullus est ethnici frater: quia illis Deus & Christus nullus est.

Dilectionis Christi erga nos probatio.

Eius sacrificium.

Probat Christi dilectionem erga nos, à Christi sacrificio pro nobis oblato, vt eandẽ eodem argumento probauit principio capitis. Porro Christi sacrificium ad vsum Ecclesiæ accõmodat, nempe Ecclesiæ sanctificationem: quam deinde definit ex pur-

ratione, quę fit per aquam baptiſmi, & verbum, Purgationis igitur inſtrumenta duo ſunt: Primum baptiſmus, quem lauacrum aquæ vocat hoc loco: Tit. 3. 5. lauacrũ regenerationis appellat. Eſt autẽ baptiſmus ſignum & ſymbolũ internæ purgationis per ſanguinem Chriſti & Spiritum. Alterum eſt, verbum illud explicans nobis ſignificationem & vſum Sacramenti, & promittens Chriſtum cum beneficiis ſuis, cuius promiſſionis ſigillum eſt baptiſmus.

Sacrificij fructus, nempe ſanctificatio Eccleſiæ id eſt lauacro aquæ per verbum purgatio.

Sequitur finis illius purgationis, adeóque ſanctificationis his verbis *Vt ſiſteret eam ſibi glorioſam.* Gloriam hanc definit partim abſentia omnis impuritatis, partim præſentia omnis puritatis & ſanctitatis. Hæc vt intelligamus ſciendum eſt baptiſmum ſymbolum eſſe duplicis purgationis, vnius per ſanguinẽ Chriſti: alterius per Spiritum. Purgatio ſiue ſanctificatio per ſanguinem perfecta eſt, & nos prorſus immaculatos & inculpatos ſiſtit Deo: vt quæ nihil aliud ſit quàm gratuita remiſſio peccatorũ. Purgatio verò per Spiritũ, in hac vita inchoata eſt dũtaxat: perficietur deinde in altera. Nihil autẽ aliud eſt quàm noſtri regeneratio. Hic locus propriè videtur accipiendus de purgatione per ſanguinẽ, nempe, perfecta illa ſanctificatione.

Finis illius purgationis & ſanctificationis.

Baptiſmus quale ſymbolum.

Purgatio per ſanguinem perfecta.

per ſpiritum inchoata.

Aduersus eorũ errorem qui regenerationem perfectam in hac vita somniant.

Aduersarii dicũt regeneratione̅ nostra in hac vita perfectã esse: ad quod ostend dum detorquent hoc Pauli testimoniu Verũ, vt diximus, hic locus intelligend est de prima illa sanctificatione per sang nẽ. Sed vt demus illud, accipi posse locu de altera etiam sanctificatione, nihil tan efficient. Nam loquitur Apostolus de sa ctificatione per Spiritum, non vt in hac v ta est imperfecta, sed vt in altera perficie tur. Solet enim scriptura nomina perfecta rũ benedictionũ tribuere Ecclesiæ, quæ ta men in hac vita duntaxat inchoantur.

Doctrinæ. 1. De officij coniugalis dignitate & præstantia.

Obs. Christus & Ecclesia Christi exem pla sunt vtriusque officij, & vxoris erga v rum, & viri erga vxorem. Vxor enim habe in Ecclesia exẽplum sui officij, vir in Chri sto sui officii exẽplum habet. Sed quos de mum mouent hæc exempla? Nimirum, eo qui huius Ecclesiæ membra sunt. Ideóqu dicitur de vxoribus, quod subiici debean viris vt Domino, quæ verba significant o bedientiam fidei oportere præcedere obe dientiam maritis debitam. Sciant igitu homines, non sine graui præiudicio viola ri hæc officia mutua viri & vxoris. Nam s fecerit vterque officium suum, argumen tum est vtrumque in Christi corpore con iunctum arctiori vinculo, quam illo ma

Ad maritos & vxores exhortatio.

trimonij, nempe, eodem ſpiritu & eadem fide. Sin minus fecerit, argumentũ eſt non coniunctos eſſe in illo corpore: in quo qui non ſunt nullam ſalutem conſequentur.

2. Obſerua deinde certum quoddam doctrinæ caput, nempe, ſacrificium Chriſti profectum eſſe à dilectione: à ſacrificio rurſus proficiſci ſanctificationem, quod fit cùm ſacrificium illud fide apprehenſum eſt. 2. De ſacrificij à Chriſto oblati origine & efficacia.

28 *Ita debent viri diligere ſuas vxores, vt ſua ipſorum corpora: qui diligit ſuam vxorem ſeipſum diligit.*

29 *Nullus enim vnquam ſuam ipſius carnem odio habuit, imò enutrit ac fouet eam, ſicut Dominus Eccleſiam.*

30 *Quoniam membra ſumus corporis eius ex carne eius, & ex oſſibus eius,*

31 *Propterea derelinquet homo patrem ac matrem & agglutinabitur vxori ſuæ & qui duo erant, fient vna caro.*

Ita debent. Secunda ratio eſt, cur viri debeant diligere vxores ſuas, ſumpta à naturali illo amore noſtri ipſorum. Hãc habet formam argumentatio, cuius omnes partes expreſſæ ſunt in textu. Omnis vir amat ſe, ac carnem ſuam. Qui autem diligit vxorem ſuam, ſeipſum diligit. Ergo vir debet diligere vxorem. Concluſio primo loco Secunda ratio, cur mariti debeant diligere vxores ſuas ab ipſo naturæ ordine deſumpta. Argumenti partes.

est. Assumptio sequitur: Propositio po-strema est. Conclusio manifesta est. *Qui diligit.* Assumptio nititur fundamento i-lo, quod sequitur posteà hoc capite. Qui duo erant fient vna caro: Vnde sequitur qui diligit vxorem, cùm vir & vxor sint vna caro, diligit se. *Nullus enim.* Propositio explicata oppositis partibus, cuius fundamentum est, sui amor naturalis.

Consequēs.

Propositio.

Quæri potest. an hìc reprehenditur naturalis sui amor? Resp. Eædem sunt causæ vtriusque dilectionis, & nostri & aliorum nempe, imago Dei, quæ & in aliis & in nobis ipsis est: communis naturæ societas, qua & cum aliis & nobiscum ipsis coniungimur: redemptio facta per Christi sanguinem & aliorum & nostri ipsorum: postremò coniunctio in Christi corpore, qua & cum aliis & nobiscum ipsi cōiungimur.

Causæ dilectionis nostri & aliorum.

Imago Dei.

Communis naturæ societas.

Redemptio nostra.

Communio san[c]torum.

Ex his sequitur non damnari prorsus nostri ipsorum amorem, sed damnari nostri amorem inordinatum, qui est cùm cupiditates, voluptates, vitā, & gloriam nostram anteferimus Deo, voluntati, & gloriæ ipsius: cùm nos ipsos cum neglectu, contemptu, aut offensione proximi quærimus. Nititur igitur hæc propositio amore nostri licito & iusto, sicut ex similitudine sequenti satis apparet. Illustrat enim pro-

Quis amor damnatur.

At Paulus de amore licito & ordinato loquitur.

positionem simili exemplo Domini, qui viscera misericordiæ effudit in Ecclesiam.

Nunc quod obseruo, hoc est, principio capitis, argumento ab exemplo dilectionis Christi qua nos dilexit, mouit ad dilectionem fratrum. Eodem argumento mouet ad dilectionem vxoris hoc loco. Eodem argumento declarat dilectionem nostri ipsorum. Ergo omnis dilectionis exemplar est illa dilectio, qua Christus nos dilexit. cuius quidem dilectionis, si in corde sensum aliquem habuerimus, diligemus & nos ipsos & alios, vt oportet. Sin vero non habuerimus eius aliquem sensum non diligemus, vt oportet. Nam hoc loco naturalis amor nostri ipsorum, ad eam dilectionem tanquam regulam reuocatur, sine qua nihil est in eo sinceri.

Doctrina. De dilectionis Christi erga nos præstantia & vsu.

Quoniam. Declarat hunc Christi affectum erga Ecclesiam suam, à summa illa coniunctione Christi, & nostri. In qua explicanda immoratur ad vltimum vsque versum cap. Sciendum igitur est triplicem esse cõiunctionem nostræ naturæ & Christi. Prima est naturæ nostræ, & naturæ diuinæ sub persona Filij in vnam personam. Secunda est personarum nostrarum, sed absentium & peregrinantium à Domino, & personæ Christi Dei & hominis in

Amplificatio, à consideratione dilectiõis Christi erga Ecclesiam desumpta. Cum qua ei intercedit coniunctio triplex. Naturalis. Mystica.

Gloriosa. vnum corpus mysticum coniunctio. Tertia est personarum etiam nostrarum, sed præsentium ad Dominũ & personæ Christi coniunctio in vnum corpus gloriosam. Hæ tres coniunctiones ita inter se affecta sunt, vt prima referatur ad secundam: secunda ad tertiam. Nam si non fuisset prima illa naturæ nostræ, & Dei hypostatica vnio, nunquam nos vniti fuissemus cum Christo in vnum corpus. Rursus si non sit secunda hæc coniunctio Christi & nostri in hac vita, dum peregrinamur à Domino, ídque per fidem, profectò nunquam præsentes cum eo coniungemur in altera.

Harum coniunctionum nexus, obseruatione dignissimus.

Sed relicta hac tertia de prioribus duabus dicamus, quia sunt magis huius instituti. Si eas inter se conferamus, videbimus consentire primũ in eo quod, quemadmodum prima coniunctio per spiritum facta est, ita secunda. Nam quemadmodum Spiritus sanctus ingressus vterum Virginis, Dei naturam sub persona Filij sic coniunxit nobis, vt ille sit caro ex carne nostra, & os ex ossibus nostris: Ita idem Spiritus sanctus ingressus quasi vterum cordium nostrorum, & excitans in iis fidem coniungit nos cum Christi persona, sic vt quodammodo nos euadamus caro ex carne eius, os ex ossibus eius. Consentiunt deinde in eo quod

De coniunctione naturali & mystica.

Primus earundem consensus.

Alter.

quod quemadmodum prima coniunctio
ta spiritualis est quoadmodum coniun-
tionis, vt sit substantialis quoad res quæ
oniunguntur, sic secunda. Nam quemad-
nodum prima coniunctio est duarum na-
urarum quæ substantiæ sunt: Ita secunda
st plurimum personarum quæ substantiæ
int: In his igitur conueniunt: differunt
ero in hoc. Prima cōiunctio est vnio hy-
ostatica & personalis: secunda vero vnio
st in vnum corpus mysticum. Differentia.

His igitur verbis non rectè quidam pri
nam illam coniunctionem intellexerunt:
eque enim si ἐνσάρκωσιν illam Christi in-
ellexisset, dictum fuisset nos esse ex carne
ius, ex ossibus eius, sed contra illum esse
x carne nostra, & ex ossibus nostris. Acci
io igitur hoc in loco secūdum illam con-
inctionem nostri & Christi: Quam qui-
em hac definitione quam possum facili
omprehendo. Est igitur ea, personarum
ostrarum & personæ Christi, imò verò v-
riusq; naturæ & diuinæ & humanæ Chri-
ti coniunctio facta per spiritum & fidem
uasi vincula, ordinaria ratione per ver-
um & sacramenta nobis ministrata, ex
qua coniunctione fit, vt participes fiamus
mnium beneficiorum Christi. Dico con-
unctionem personarum nostrarum & per-

De coniunctione mystica hoc loco agitur, vt ex verborum serie liquido constat.

Huius coniunctionis mysticæ definitio.

Definitionis explicatio.

1. Ea est personarum nostrarũ & personæ Christi.

2. Personæ inquam ex vtraque natura constantis.

3. Quæ coniunctio fit per Sp. S. & fidem.

4. Spiritus S. autem & fides subministrantur per ministerium verbi & sacramentorũ.

5. Ex hac cõiunctione sequitur participatio omnium bonorum & donorum Christi.

sonæ Christi, vt indicem esse substantialẽ ex substantia factam, & excludam omnem coniunctionem imaginariam, & eam quæ constat tantùm participatione ἐνεργείας & donorum Christi. Dico deinde & diuinæ & humanæ naturæ coniunctionem esse, vt excludam illam coniunctionem, quæ est secundum diuinam tantum, eámque in nobis manentem, quemadmodum dixerunt Nestoriani. Dico tertiò coniunctionem hanc fieri per Spiritum sanctum & fidem, vt significem modum coniunctionis esse spiritualem & mysticum, & excludam coniunctionem illam quæ fit modo corporali per contactum physicum, quem somniant aduersarij Christi & nostri esse in cœna Domini. Dico quartò Spiritum & fidem ordinariè subministrari per ministerium verbi & sacramentorum, quia ita ordinariè efficax est in nobis Deus, etsi aliquando extra ordinem operetur in quibusdam. Dico postremò ex hac coniunctione sequi participationem omnium donorum Christi, quia participato primùm ipsomet Christo, participes fiũt omnium quæ in eo sunt remissionis peccatorum, regenerationis, vitæ æternæ. Atque hæc de coniunctione Christi & nostri, quæ his verbis intelligenda est.

Propterea derelinquet. Verba superiora quibus illam cõiunctionem Christi & nostri significat, illa sunt, quibus Gen. 2. 23. Adamus agnoscit Euam ex se factam, carnem ex carne sua, os ex ossibus suis. Ideóque subiungit iis ea ipsa verba, quæ proximè sequuntur in Genesi ibidem, quę etiam hoc loco spiritualiter intelligenda sunt de coniunctione Christi & nostri. Nam quodammodo spiritualiter in Christo, & illo spirituali coniugio Christi & nostri impleta sunt. Sed nos videamus etiam literalem, quam vocant, horum verborum sensum, quia eo intellecto magis intelligetur spiritualis. Moses postquam narrasset institutionem Dei, & verba Adami agnoscentis Euam ex se factam, concludit hanc coniunctionem viri & vxoris his verbis: Idcircò derelinquet homo patrem ac matrem, & agglutinabitur vxori suæ. Idcirco, inquit, hoc est, & quia mulier pars viri est, ac proinde natura illi coniuncta, & quia institutione diuina illi tradita est: Idcirco, inquit, derelinquet patrem ac matrem suam, & c. Verba hæc non sunt intelligenda simpliciter: nam coniugium nihil præiudicij debet afferre aliis officiis, & honestatis partibus: sed comparatè, quasi diceret, potiùs deseret parentes, quàm vxorem. *Et qui duo*

Institutionis primi cõiugij verba ad spiritualе Christi & Ecclesiæ coniugium aptissimè referuntur.

Verborum literalis sensus.

Comparatè dicta sunt.

erant. Matth.19.5. Christus, inquit, Qui duo fuerunt, erunt vna caro: Item Marc.10.8. Item 1. Cor. 6.16. Item hoc loco. Gen. verò 2.24. Non est expressa hæc particula, *duo*, etsi res ipsa illic habeatur: sermo enim est de vno tantum viro, & vna muliere. Esai. dicit, Ne abscondas te à carne tua. 58. 7. Quo loco vnam carnem facit omnes fratres: sed hoc fit propter communis naturæ societatem. Hoc loco vna caro dicuntur vir & vxor, non ob eam tantum communem rationem, sed multò magis ob speciale illud coniugij vinculum, quod adeò arctum & angustum est, vt Prouerb.2.17. dicatur fœdus Dei, hoc est, Deo authore sancitum. Obseruationes sequuntur postea.

Cur particula duo fit à Christo, non à Mose expressa.

Cur vir & vxor vna caro dicuntur.

Exclamatio appositissima

32 *Mysterium hoc magnum est: loquor autem de Christo & de Ecclesia.*

33 *Itaque & vos singuli ita facite, suam quisque vxorem ita diligat vt seipsum, vxor autem videat vt reuereatur virum.*

Mysterium hoc. Epiphonema, quo consideratione admirabilis huius arcanæ coniunctionis exclamat, Mysterium hoc esse magnum, hoc est, arcanum: sed de qua re loquatur ostendit verbis sequentibus, De Christo & Ecclesia. Coniunctio Christi

Cur hæc

& Ecclesiæ vocatur mysterium: quia humanæ rationi incognita est. Incognita autem est rationi humanæ, quia spiritualis est, hoc est spirituali modo fit, ac incomprehensibili. Ait enim Apostolus, Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, & ne potest quidem cognoscere. Sed an potest, si audiat eam clarè & distinctè explicatam (vt demus quidem de hoc mysterio ante ipsum manifestatum, hominem ne potuisse quidem suspicari) an potest, inquam, si audiat eam humana ratio percipere coniūctionem Christi & Ecclesiæ? Apostolus, postquam dixit, non percipit ea quę sunt Spiritus Dei, statim addit, sunt enim illi stulticia. Vt demus igitur naturali mentis luce hominem aliqua ex parte percipere quæ dicuntur, tamen quia stulticia illi sunt, hoc est, quia habet ea pro stultis, etiam hac ratione dicitur ea non percipere. Nam illud verum est, in cognitione mysteriorum Dei nihil valere mentis cognitionem: nisi eadem mente iudices, id quod cognoscis, veram ac solam esse sapientiam: nisi sit etiam efficax illa cordis apprehensio, quam fiduciam propriè appellamus.

Christi & Ecclesiæ coniunctio vocatur mystica.

Humana ratio non potest eam percipere.

Ratio.

Rationis explicatio.

Obs. 1. Ait, agglutinabitur vxori, & non vxoribus. Deinde ait, Duo erunt vna ca-

Doctrinæ. 1. Aduersus Polygamiam.

10. Hic manifesto damnatur Polygamia, quæ tantùm abest ab eo, vt efficiat vnam carnem, vt etiam distrahat virum in multas carnes. Illud quidem verum est post primam institutionem, illam consuetudinem etiam apud ipsos patres obtinuisse. Sed nunc non disputo quàm rectè hoc factum fuerit. Illud dico cum Christo, non sic fuisse ab initio. Neque verò melius corrigitur vnumquodque, quàm cùm ad primam institutionem reducitur. 2. Propterea, hoc est, propter Dei institutionem, qui duo erant fient vna caro. Obseruo igitur: Vnum hominem fieri virum & vxorem non tam vi vlla contractus ciuilis, quàm vi institutionis Domini, quæ sola vim habet propriè efficiendi vnum ex duobus. Id Christus testatur: Quod Deus coniunxit, inquit, homo ne separet. (Nam quicunque secundum eius institutionem matrimonio iunguntur, ab eo iunguntur matrimonio.) Id etiam confirmat comparatio aliorum contractuum ciuilium cum hoc contractu facta. Cæteri enim quemadmodum voluntate hominum contrahuntur, ita voluntate hominum dissoluuntur. At non est ita in hoc contractu. Quod enim Deus coniunxit, homo ne separet. Postremò ipsa naturæ lex docet

Quæ patrum exemplo confirmari nec potest nec debet.

2. De matrimonij vinculo & dignitate.

Huius author, Deus

Teste Christo ipso, qui omnes maritos & vxores cõiungit.

Cæteri contractus sunt humani: ille verò diuinus

aliam & maiorem causam subesse coniugio, quàm contractum ciuilem. Ipsæ enim gentes, quæ ignaræ fuerunt institutionis Domini, viderunt naturæ lumine vagas libidines, scortationes, adulteria contra naturam esse. Ergo per idem naturæ lumen viderunt vel naturam, vel aliud quid maius contractu ciuili causam esse coniugij. Manet igitur illud: præcipuam & vnicam ferè causam vinculi huius coniugalis esse, Dei institutum. Sequitur & aliud: Celebrationem coniugij in Ecclesia sanctorum per ministerium factam secundum institutionem ipsius Dei, non esse promulgationem aliquam, aut etiam confirmationem duntaxat coniugij iam facti, sed esse propriè ipsam effectionem vinculi coniugalis, quod priùs non fuit. 3. Vocat hanc coniunctionem Christi & Ecclesiæ mysterij nomine. Ergo non fit corporali, sed spirituali modo. Si enim corporali, nullum iam est mysterium. Hoc dictum sit contra realem illam præsentiam corporis & sanguinis Domini in cœna. 4. Exponit hoc mysterium de Christo & Ecclesia. Nomine igitur mysterij significatur hæc coniunctio Christi & Ecclesiæ. Non significatur ergo viri & vxoris coniunctio in

Vt etiam naturæ lex & ethnicorum consensus fatetur.

Celebratur in Sanctorum cœtu.

3. Aduersus dipnosophistarum errores.

4. Aduersus Pontificiorũ anile cõmentum de sacramento matrimonij.

matrimonio, quemadmodum detorquent hunc locum aduersarij ad stabiliendum sacramentum matrimonij. Sed quæ est huius interpretationis causa? nempe, quia vetus interpres latinus μυστήριον Græcum vertit Sacramentum Latinè. Sed quam bene non video. Primùm enim Sacramenti vocabulum propriè significat signum significans: μυστήριον vero propriè significat rem significatam. Et ita ferè lego acceptam mysterij vocem in Nouo Testamento, vt Matth.13.11. Ephes. 1.9. & 3.3. Colos.1.26. 1.Timoth.3.16. Apocalyp.1.20. & hoc loco. Deinde quorsum opus fuit illa vocis interpretatione, cùm mysterij vocabulum Latinis vsitatum sit? Sed an hoc satis validum est argumentum: Quia Sacramenti vocabulum hic repertum est. Ideo matrimonium erit Sacramentum? Annon potest illa ipsa coniunctio Christi & Ecclesiæ mystica hoc nomine appellari? Annon ab illo ipso interprete multis passim tribuitur nomen Sacramenti, quæ non sunt Sacramenta, vel ipsis fatentibus aduersariis? tertio enim cap. huius Epist. vocatio Gentiũ Sacramentum dicitur.

Huius erroris fons, ignoratio dictionis.

Et obscurior interpretatio eiusdem.

Præterea, fallacia consequentis.

Quartò, ignoratio elénchi.

Sed relictis vocibus rem vrgent. Adumbratur coniunctio illa Christi & Ecclesiæ, hac coniũctione viri & vxoris in matrimo

Aduersariorum instãtia.

Responsio.

nio. Verum est: Sed rursus declaratum est matrimonium, & illa viri & vxoris cõiunctio Christi & Ecclesiæ coniunctione suprà eodem hoc capite versu 23. & sequentibus. Vt Christus est, inquit, caput Ecclesiæ: ita vir mulieris, tamen propterea illa coniunctio Christi & Ecclesiæ, huius non dicitur Sacramentum. Sed vno argumento à fine Sacramenti sumpto rem sic vrgebo. Sacramenti proprius finis est reconciliatio nostri cum Deo, qui non est matrimonij: aut si sit, cum omnibus opus sit illa reconciliatione & sigillo reconciliationis quocunque à Deo dato cur non sacrificuli vxores ducunt? verum vt alia omittam quæ copiosè ab aliis contra mendacium hoc & commentum humanum dispûtantur: si attendas vel orationis ipsius genus & vim exclamationis cum admiratione, quæ non decorè accommodari possunt viri & vxoris coniugio, re, scilicet, non ita admiranda: si attendas antecedentia verba, quæ dicuntur manifestò de Christi & Ecclesiæ coniunctione, quibus verbis hæc acclamatio subiecta est, videbis apertissimè Apostolum loqui, vt etiam ipse se exponit, de Christo & ecclesia sua.

Deductio ad incõmodum & absurdum.

Tertia responsio, eaque obseruatu digna, ex contextus serie & circunstantiis collecta.

Itaque. Cõcludit simul vtrunque, & officium viri erga vxorem, & vxoris erga vi-


Conclusio tractatus de primo speciali præcepto, seu de mariti & vxoris officio mutuo.

rum. Iubet autem vxorem reuereri virum. Paul. 1. Cor. 11. 7. ait, virum esse imaginem & gloriam Dei, mulierem verò gloriam viri. Ait virum esse imaginem aut gloriam Dei, quia repræsentat imaginē gloriæ Dei & maiestatis ipsius sibi à Deo communicatam: mulierem verò ait esse gloriam viri, quia repræsentat imaginem gloriæ viri sibi quodammodo communicatam. Vnde sequitur vt vir debet reuereri Deum illum à quo accepit imaginem suam: Ita mulier virum, à quo accepit imaginem suam. Sed hæc in genere dicuntur ab Apost. ad Cor. de quouis viro & quauis muliere. Nam omnino sexus muliebris tenetur reuereri sexum illum virilem. Quantò magis debet vxor marito suo honorem deferre. Monet Petr. 1. Epist. 37. honorem deferendum vxori, sed tanquam vasi, hoc est, secundum Hebræum morem, comiti & administræ infirmiori. Mulier autem debet honorem viro suo vt inferior superiori. Obser. hoc loco. Priùs præcepit vxoribus subiectionem, nunc vero timorem & reuerentiam. Nisi interior sit cordis reuerentia, nunquam erit exterior subiectio sincera & Deo accepta.

Vir gloria Dei. vxor gloria viri.

Quis honor viri erga vxorem, & vxoris erga maritum.

Quo affectu



ARGVMENTVM.

Huius cap. partes sunt quatuor.

In prima parte pergit in specialibus præceptis quæ ad certas hominum conditiones pertinent, nempe, eas quæ sunt in eadem familia, parentum & liberorum, dominorum & seruorum, vsque ad vers. 10.

In secunda parte concludens vniuersum hunc locum præceptionum, omnibus communiter subiicit generale quoddam præceptum de induenda tota illa armatura Dei, ad vers. vsque 21.

In tertia parte cap. quæ eadem est Epistolæ sexta, significat se credidisse Tychico tabellario res suas priuatas coram exponendas, vsque ad vers. 23.

In quarta parte cap. quæ eadem est septima & vltima Epistolæ, claudit Epistolā salutatione quadam, qua bene peccatur non tantùm Ephesiis, sed toti Dei Ecclesiæ.

CAPVT VI.

1 *Liberi auscultate in Domino parentibus vestris: id enim est iustum,*

2 *Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est præceptum primū cum promissione.*

3 *Vt bene tibi sit, & sis lōgæuus super terram.*

Liberi. Prima pars cap. in qua primùm præcipit liberis & parentib. Hoc autem præceptum ad liberos pertinet. Primùm est ipsum præceptum: Deinde sunt duæ eius rationes, vna ab eo quod iustum est, altera à promissione lon-

1. Prima pars capitis.

Secundum præceptum particulare & œconomicum.

De liberorum officio. Quale illud sit

Liberi sunt, qui ex aliis descenderunt

Qui sunt liberorum loco.

gæuæ vitæ, quam Deus in mandato suo promittit. Præceptum est: Liberi auscultate parentibus in Domino. Liberorum nomine intelligo omnes eos, qui ex aliis descenderunt: vt parentum nomine omnes eos, ex quibus alij descenderunt. Item liberorum nomine intelligo eos qui loco liberorum sunt, vt priuignum, priuignam, generum, nurum; vt parentum nomine intelligo eos, qui loco parentum sunt, vt vitricum, nouercam, socerum, socrum. Ruth 3 5. Ruth subiicit se in omnibus socrui, tanquam matri. Quicquid, inquit, edixeris mihi, faciam. Sed hodierno die rara est huiusmodi consensio animorum inter socrum & nurum.

Exemplum.

Explicatio officij, quod in obedientia versatur.

Auscultate, inquit, *parentibus vestris.* His verbis requirit obedientiam. Obedientia autem est illud officium externum, quod inferior debet superiori suo, auscultans ei in omnibus possibilibus & licitis, quod proficiscitur ex interiori cordis reuerentia, & amore. Pars est illius honoris quem requirit Deus in præcepto quinto. Honora patrem & matrem: Constat enim honor ille multis partibus. Primùm reuerentia & amore interiori: deinde externa obedientia: tertiò gratitudine, quæ sita est in pari compensatione parentum: de qua

Obedientia illa autem complectitur.

Reuerentiã.

Obsequium.

Paul. 1. Tim. 5.4. dum præcipit, vt liberi e- Gratitudinem.
xerceant pietatem in eos, qui sunt familiæ
suæ, & vicem rependant parentibus. Sed
hodierno die tantùm absunt ab eo liberi
vt vicem rependãt, vt ferè crudeliter spo-
lient parentes omnibus iis bonis quibus
ingrauescente iam ætate vitam tolerare
possent. Quarto, constat honor ille æqui- Æquitatem in tolerandis parentum infirmitatibus
tate in tolerandis infirmitatibus & vitiis
parentum, quantum licet per legem & vo-
luntatem Dei. Nullam legimus grauiorem
in scriptura tota execrationem, quàm est
ea qua Noachus execratus est filium suum
Cham, Genes. 9.25. quòd patris nuditatem
indicarit fratribus. Maledictus erit Cena-
han: seruus seruorum erit fratribus tuis.

Sed cur potissimum inter cæteras ho- Cur obedientiæ meminit.
noris partes præcipit obedientiam? Resp.
1. eam trahere secum cæteras partes. 2. dif-
ficillimam hãc esse partem, cùm nihil ma-
gis aduersum sit humano ingenio, quàm
aliis subiici: & quotus est quisque qui vel
parentibus sese libenter subiiciat: cùm ta-
men inter potestates, hæc maximè amabi-
lis sit & nauralis. Hactenus de obedientia
ista. Quod si quæras, quamdiu debeat dura- Quandiu durare debeat.
re: Resp. ad extremum vsque vitæ, etsi cum
aliquo discrimine: Nam dum sunt liberi
sub patria potestate, maiorem debẽt obe-

dientiam:postquam verò consensu parentum liberati sunt, non adeò obligantur. obligantur tamen etiam tum ad certam quandam obedientiam, qua tenētur etiam ad extremum vsque spiritum.

De causa finali huius obedientiæ.

Iubet postremò obedire in domino. Causa mouens & finalis obedientiæ erga parentes, debet esse Dei gloria: iuxta regulam illam quæ est 1.Cor.10.31 Siue editis, siue bibitis, siue quicquid facitis, omnia in Dei gloriam facite. Matt.23.9. ita loquitur Christus: patrem vestrum neminem vocate in terra: vnus enim est Pater vester qui in cælis est. Quibus verbis illud planum est: sicut Deus creator est noster, conseruator, redemptor: ita propriè patris nomine appellandus est. Verum quemadmodum visum est ipsi vti hominibus, tāquam instrumentis, in gignendis nobis, educandis, & conseruandis: ita patris nomen cum illis communicavit. Quod si ita sit, iustum est in illo patre, qui proprius & vnicus pater est, & propter eum, auscultare terrenis hisce parentibus.

Cur Apostolus huius causæ meminerit.

Præcepti primaratio.

Hactenus fuit præceptum: sequitur prima ratio, ab eo quod iustum est, sumpta.

Ab eo quod iustum est desumpta.

Coloss 3.20. vbi idem præcipit, addit hanc rationem, nempe, quia Domino acceptum est. Item 1.Tim 5.4. quia acceptum, & ho-

nestum est coram Domino. Ergo iustum hoc loco est, quod Domino acceptum est, & conforme voluntati ipsius. Nam sciendum est de voluntate Dei, quòd sit certissima regula omnis iustitiæ: quicquid enim vult Deus id iustū est, quia ipse Deus summe iustus est, adeóque ipsa iustitia. Sequitur alterum argumentum à promissione quasi diceret: Nam hoc est præceptum primum cum promissione, (Honora patrem & matrem, &c.) Quod ad ipsum præceptum attinet, nihil de eo hoc loco dicam. Tantùm quæro cur dicat hoc præceptum primum cum promissione? nonne & cætera omnia habent promissionem additam? nonne secundum habet promissionem expressam? Resp. generalem esse illam promissionem, tum in aliis omnibus intellectam, tum in secūdo legis mandato expressam. Hoc autem est primum præceptum cum speciali promissione, longæuitatis nimirum. Atq; hæc de hoc præcepto.

A promissione.

Cur præceptum de honorandis parentib. dicatur esse primum cum promissione

Obs. 1. Philosophi gentium hanc obedientiam multis in locis præcipiunt. Sed quis vnquam eorum dixit: auscultate parentibus in Domino. Obs. igitur discrimen. Paulus in præcepto suo non tantùm ipsorum parentum, sed multò magis Dei eiúsque gloriæ rationem habet: cùm sciat

Doctrinæ.

1. Discrimen inter præcepta ethnicorum & Dei seruorum de honorandis parentibus.

hoc à Deo præceptum esse. Illi tantùm rationem hominum habuerunt, vlterius non viderũt. Similiter etiam differt obedientia Christiani hominis ab obedientia ethnici. Christianus in Domino & propter Dominum eiusq; cultũ auscultat parentib. Ethnicus nõ propter Dominũ, sed propter alios fines quos sibi ipse proponit. Vnde fit vt eius obedientia omnis vera esse nõ possit, sed hypocritica duntaxat & simulata. Quicquid.n. est, quantumuis speciosũ videatur, quod non fit propter Dei gloriã, sed aliud quid quod proponit sibi homo, siue vtilitatem suam, siue honorem, siue quid tale hypocriticũ est illud totũ. 2. Primũ moueteos ad obedientiã à iusto. Deinde promissione allicit. Moueatur igitur ad auscultandũ parentibus, quia iustum est, quòd si propter iustitiam nolumus, tum moueamur promissione: quòd si ne promissionem quidem audire volumus, tum audiamus illas minas quæ sunt Exod. 21. 17. Qui maledicit patri suo aut matri suę, omnino morte plectitor. Quæ lex si vim suam habuisset apud nos, multi iam pridem fuissent mortui.

Et inter obedientiam hominis christiani & ethnici.

2. De argumẽtis ad obedientiam illam præstandam impellentibus.

4. *Et vos patres, ne prouocate ad iram liberos vestros, sed enutrite eos in doctrina & monitis Domini.*

De parentum erga liberos officio.

Et vos patres, ne. Nunc vicissim patribus præcipit. Primùm prohibet vitium: deinde commend

commendat virtutem. Prohibet autem nimium rigorem his verbis: Patres ne prouocate ad iram liberos vestros. Natura omnes homines, quos Deus collocauit in loco aliquo eminentiori, seueriores sunt in eos qui ipsis sunt subiecti, nisi Deus naturæ sæuitiam ad certam æquitatem & moderationem, qua nouit ipse ratione, reuocet. Quod cùm satis intelligerent Apostoli, prohibuerunt hoc seueritatis vitium, & contrariam æquitatem commendarunt quibuscũque superioribus, vt maritis Coloss. 3.19. vt Dominis Coloss. 4.1. 1. Pet. 3.7. vt parẽtibus Coloss. 3.21. & hoc loco. Nam monet hîc ne nimia seueritate ad irã prouocent liberos. Coloss. 3.21. incommodum seueritatis hoc affert: Ne liberi despõdeãt animum: fit enim, vt postquam seueritate parentum ad iram prouocati sunt liberi, abiiciant illam quam erga parentes habere debent pietatem, & obfirment animum aduersus admonitiones omnes, aduersus minas, aduersus ipsa verbera: denique stupidi reddãtur & inepti ad quiduis obeundum quod laudabile sit & honestum.

Prohibet nimiam austeritatem.

Cuius origo ex superbia.

Huic opponitur æquitas.

Prohibitionis ratio, ab incõmodis quæ nimia hæc austeritas adfert.

Hæc hactenus de vitio præcepit: deinde virtutem commendat: nempe, vt educent liberos suos in disciplina & præceptionibus Domini. Hæc ad liberos, dum in tene

Austeritati opponit institutionem in disciplina & monitis Domini.

ra ætate ſunt,pertinent: nam diſciplina eſt ea,quæ poſita eſt,partim in incitamẽtis humanioribus: partim in correctionibus ad cohibendam eius ætatis petulantiam. De caſtigatione hac Salomon multa loquitur in Prouerb. 13. 24. & 19.18.& 29.15.17.Poſtremò 23.13.14.inquit, Ne ſubtrahas à puero caſtigationem : nam ſi percuſſeris eum virga,nõ morietur. Tu virga percutito eũ & animam eius ab inferno eripies. Sequitur præceptio, quæ poſita eſt in eo,vt breuiſſima ſimul & facillima præcepta veritatis & pietatis illi ætati tradantur, vt tener animus iam in prima ætate concipiat quædam conſcientiæ, religionis, & bonorum morũ ſemina, quæ deinde augeſcẽte ætate incrementum capiant.Sic DominusDeut. 6.20.21.per Moſem præcipit Iſraeli,vt liberos ſuos inſtruant in iis , quæ viderint ipſi. Huius educationis exẽplũ exhibet Apoſtolus in Timot.qui à puero in literis ſacris educatus eſt.Hactenus de pręcepto virtutis.

Quid diſciplina.

Quid præceptiones ſeu monita Domini.

Confirmatio à teſtimonio. Ab exemplo. Doctrina.

Obſ.1.duo poſſumus hîc colligere extrema,in quibus peccãt parentes: intérque ea mediam virtutem. Vnum eſt in exceſſu,rigor nimius:Alterũ in defectu,nimia indulgẽtia.Mediocritas eſt παιδεία ſed cum παιδεία cõiungit νουθεσίαν,hoc eſt,monita Domini, vt ſciamus fruſtra caſtigari corpus, niſi

De parentum in liberorum inſtitutione peccatis,nempe nimia authoritate & nimia indulgentia: quibus opponuntur Doctrina & monita Domini.

ſi præceptis animus imbuatur,& flecta-
r. Vocat hæc pręcepta Domini. Quędam
æcepta ſunt hominum:ſunt eaiam præ-
pta ex Dei verbo petita. Hæc maximè ef
acia eſſe oportet in animis puerorũ, quia
abent coniunctum Dei ſpiritum. Rurſus
æcepta Domini partim ſunt quæ inſti-
unt in via ſalutis, partim de moribus &
nuerſatione dantur. Vulgo primùm tra-
nt pueris iſta præcepta de moribus,eaq;
rè ex prophanis authoribus petita: de
eo nihil aut parum:de Chriſto nihil. Sed
o hoc affirmo, iam primùm tradenda eſ-
illa præcepta quàm facillima & quã bre-
ſſima, quæ ad ſalutem pertinent,& alte-
m illam vitam, ſine quibus non poſſunt
eri in bonis & ſinceris moribus profice-
. Ego enim bonos mores illos non ap-
ellarim,qui non proficiſcuntur ab animo
iqua ex parte regenerato. Regenerari au
m animus non poteſt niſi fide præce-
ente: fides verò eſt per auditum. Quare
o cenſuerim chriſtianis pueris, quam
imùm aliquid de Deo, de Chriſto, de
de,de iuſtificatione, de ſãctificatione, de
eteris denique capitibus Catecheſeos in-
lcandum. Spiritus enim Dei ſanctus
menſuram aliquam, in pueris quoque
ſt efficax.

De præceptis ſeu monitis Domini & hominum.

Quæ præcepta pueris primò tradenda ſint.

Huius conſilij ratio.

Concluſio.

5 *Serui asculta te ijs qui vestri Domini sun*
secundum carnem cum timore ac tremore
cum simplicitate cordis vestri, vt Christo.
6 *Non ad oculum seruientes, vt qui homini-*
bus placere student, sed vt serui Christi fa-
cientes ex animo quæ vult Deus.
7 *Cum beneuolentia seruientes Domino &*
non hominibus.
8 *Vt qui illud sciatis singulos quicquid fece-*
rint boni, hoc reportaturos à Domino, siue
seruus fuerit siue liber.

3. Tertiũ præceptũ particulare & œconomicũ. De Seruorũ officio.

Serui obedite. Nunc seruis præcipit. Primùm, est præceptum ipsum obedientiæ. Deinde est subiectus obedientiæ modus. Postremò proposita mercede allicit ad officium sincerè & ex animo præstandum.

Præceptum. Ad quos dirigatur.

Præceptum est: *Serui,* inquit, *auscultate,* &c. Seruos hîc intelligo non mercenarios, qui alioqui liberi, vendunt suas operas ad certum tempus: cuiusmodi sunt in vsu apud nos hodierno die: verum intelligo seruos illos, qui tum erãt, cùm Paulus hæc scriberet, emptos & addictos perpetuę seruituti, nisi visum esset dominis eos manumittere, & in quos domini habebant per leges ius vitæ & necis.

Quid illis præcipiatur. Quorum respectu.

Hos iubet auscultare dominis secundum carnẽ. Dominos vocat *secundum carnem*, quia dominium horum tantùm est in corpus & corporalia, non autem

in conſcientiam. Sic ad Philemonem ſcribit, Oneſimum dilectum ipſi, & in carne, & in Domino. In carne, quia mancipium ipſius erat: In Domino, quia frater. Ex quo loco manifeſtum eſt Paulum tribuere Philemoni dominum in Oneſimum ſeruum, tantùm quo ad carnem. Sic 1. Cor. 7. 22. ſeruum conſolatur eo quòd ſit libertus Domini, quod de libertate conſcientiæ intelligendum eſt. Quod autem de poteſtate dominorum, qui familiis priuatis præſunt, loquimur, idem intelligimus de poteſtate magiſtratuum. Vnde & hoc ſequitur leges humanas non obligare conſcientias hominum propriè, ſed diuinas tantùm. Dico propriè, & per ſe: quia lex humana obligat conſcientiam propter legem Dei, quæ præcipit obedientiam legi humanæ præſtandam. Sic intelligendum eſt illud Pauli Rom. 13. 5 Nõ ſolùm propter iram, inquit, ſed etiam propter conſcientiam, quæ nimirum vrgetur Dei ordinatione, qua etiam vſus eſt Apoſt. paulò antè, tanquam argumento obedientiæ. Vnde Pet. 1. 2. 19. dicitur: Hoc enim gratum eſt, ſi quis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtias. Vide, conſcientiam refert ad Dei voluntatem, quæ ſola propriè ipſam obligat. Hoc libuit obſeruare, & propter aduerſarios,

De poteſtate Dominorum & magiſtratuum in Dominos & ſubditos.

De legum & traditionum humanorum authoritate.

AduerſusPontificios & aulicos ſycophantas.

qui imponunt conſcientiis hominum iugum ceremoniarum à ſe inuentarum: & propter aſſentatores noſtri temporis, qui regibus imperium etiam in conſcientias hominum tribuunt, & nihil non.

Modus obediendi, duplex.

Hactenus præceptum: ſequitur modus obediendi, qui duplex eſt. Prior eſt, vt cum timore & tremore obediãt: qui quidem timor non debet eſſe ſeruilis: nam Chriſtianus, etiam ſeruus, non tamen debet moueri ad obediẽtiam timore ſeruili, ſed filiali. Poſterior modus eſt, vt cum ſimplicitate cordis auſcultẽt dominis, vt Chriſto. Quid autẽ ſit, obedire cum ſimplicitate cordis, verbis ſequẽtibus quaſi definit: ac primùm oſtendit, quid non ſit: deinde quid ſit. Obedire ergo cum ſimplicitate cordis, non eſt ad oculum ſeruire, vt qui ſtudent hominibus placere, hoc eſt, non eſt obedire obedientia quadam externa & ſimulata, qualis eſt obedientia eorũ qui ſtudent placere nõ Deo, interna obedientia cordis, ſed hominibus, externa quadam obedientia corporis: ſed obedire cum ſimplicitate cordis eſt, facere ex animo quæ vult Deus, vt ſeruos Chriſti, hoc eſt, vt ſeruos nõ tam hominũ, quàm Chriſti ipſius, obedire ex animo, nõ tam Dominis, quàm Deo ipſi, qui vult ac præcipit hanc obedientiam. *Vt ſerui Chriſti facientes*

Cum tremore.

Cum ſimplicitate cordis.

Non ad oculum ſeruire.

Sed ex animo, & tanquã Deo, non hominibus.

facientes ex animo quæ vult Deus. qui nimirum ipsi spiritu seruiunt: quemadmodum Apostolus de se loquitur Rom.1.9. Cui seruio, inquit, in spiritu, in Euangelio Christi *cum beneuolentia.* Exegesis & quasi definitio quædam proximi membri: Facere enim ex animo quæ vult Deus, est cum beneuolentia seruire Domino & non hominibus. Nam quicquid faciunt homines hominibus ex Domini pręcepto & voluntate, illud accipit Dominus tanquam sibi factum.

Expositio proximi membri.

Vt qui illud sciatis singulos quicquid fecerint. Allicit ad simplicem hanc & sinceram obedientiam à mercede proposita quibuscunque, sine discrimine, bene agentibus, siue seruis, siue liberis, Paulus, Rom.2 11. huius doctrinæ fundamétum habet, quòd etiam versu sequenti videbimus: Non est. inquit, acceptio personarum apud Deũ. Ex hoc loco & similibus colligit aduersarius opera nostra perfecta esse, ac proinde mereri: quia nimirũ Deus ea compẽsat. Resp. Illud non sequi quod volunt, quia Deus reddit bonum etiam secundum opera imperfecta, &, nisi peccatum inhærens códonetur, commendationem merẽtia. cùm iudicat Euangelicè, hoc est, non ex pacto operum, seu obediẽtiæ propriæ quæ legi sa-

Inductio ad obedientiam sinceram, à mercede. piis seruis proposita.

Fundaméntum huius doctrinæ.

Aduersus errorem de meritis operum.

Quomodo Deus electis reddat secundum opera sua.

tisfaciat, sed ex pacto fidei, siue iustitiæ Christi per fidem nobis applicatæ:& tamē secundum opera, vt secundum argumenta siue testimonia fidei, ex qua proficiscūtur, & quæ fidem esse in hominibus tanquam effectus, ostendunt. Ex huiusmodi igitur locis scripturæ, quæ iudicium secundum opera bona, quæ in hac vita fecimus, Christum facturum dicunt, neque meritum, neque perfectio operum sequitur.

Doctrinæ.

1. De Seruorū Christianorū ignorantia.

Huius ignorantiæ partes.

Obs. 1. Iubet obedire sicut Christo & facere ex animo quæ vult Deus, vt seruos Christi. Proponit mercedem reportandam à Domino, qui non excipit personas. Hinc discimus, quæ sit causa cur serui nō ex animo obediant dominis suis: nempe, in vocatione sua non proponunt sibi Deum in Christo: non cogitant sibi seruiendum esse terrenis dominis propter eū qui hoc præcepit: non respiciunt ad eam mercedem, quæ est ab illo, sed ante oculos habent homines, ipsorúmque mercedem. Hinc fit vt ferè corde non sint sinceri, verbo sint respō-

Effecta.

Ingratitudinis seruorum seu mercenariorū nostrorum amplificatio, à comparatis.

satores, factis sint, vel negligentes, vel parū fidi. Quod si Paulus pręcipiat seruis qui mācipia erant, vt in Christum intueantur, & propter ipsum seruiant: quantò magis possumus nos præcipere mercenariis nostri tēporis, qui alioqui liberi sunt, vt propter Christum

Christum seruiant, cum beneficio & gratia eiusdem Christi, qui liberauit animas à potestate Diaboli & mortis, hoc etiam habeant, quod liberi sint corporibus. Ante Christum enim nihil erat præter miseram seruitutem. Paulatim vero per fidem in Iesum Christum leniores & mansuetiores facti sunt Domini: tandemq; seruos suos manumiserunt. 2. Cùm propter Deum simplicem & sinçeram seruitutem seruituri sint serui, imprimis dominis curæ esse debet, vt serui in vera Dei notitia in Christo instituantur. Quod si secus fecerint, ne querantur sibi non præstari à seruis suis sinceram illam obedientiã quam requirũt. Nam honorãtes me honorabo, ait Dominus. 3. Putãt vulgò qui infimo loco sunt. Deum de se nõ sollicitum esse, neq; curæ esse Deo quid ipsi agant: sed fallũtur. Deus videt, vel abiectissimę cuiuscunque sortis hominis facta. Quod si ex animo fecerit quod vult Dominus in sua quisq; vocatione quãtumuis abiecta, Deus profectò eum hominem, vt regem compensabit. Nam Deus noster non personas hominum, non quãtitatem etiam facti, sed qualitatem potiùs & sinceram agendi rationem respicit, eámq; compensat.

2. De Dominorum & patrum ac matrumfamilias negligentia profana.

3. De piorum seruorum & hominũ quãtumuis abiectorũ modò Deum reuerẽtur, colant, felicitate.

9 *Et vos domini, eadem facite erga illos, remissis minis: scientes vestrum etiam ipsorum*

Dominum esse in cælis, nec personæ respe-ctum esse apud eum.

De Dominorum officio.

Et vos domini. Viciſſim præcipit dominis. Domini illi veteres putarũt ſeruos ipſis tantùm natos, ideóque non pluris illos faciebãt quàm pecudes, ſeſéq; nihil illis debere exiſtimabant. Contrà autem Apoſtolus admonet dominos officij mutui in ſeruos, nimium rigorem prohibens. Officiũ autem iſtud dominorum, duobus argumentis vrget. Officium igitur cuius admonet eſt, vt eadem faciant ſeruis. Eadem hic intelligenda ſunt, non menſura aut quantitate: nam domini & ſerui non eſt æqualis cõditio: ſed proportione quadam reſpondente ſeruorum conditioni. Nam in officio faciendo habenda eſt ratio cõditionis illius hominis erga quem ipſum facimus. Sed videamus particulariùs quidnam officij exigat Paulus, Coloſſ. 4. 1. Domini, inquit, exhibete ſeruis iuſtũm & æquabilitatẽ. Hæc prima pars eſt officij in reddendo ſeruis, quod iuſtè ipſis debetur. Ex. 1. Pet. 1. 18. licet addere huic parti lenitatem & benignitatem quandam tanquam ſecundam partem officij, in remunerando, nõ modò iuſtè, ſed liberaliter etiam, & plena manu, pietatem, ſtudium, & diligẽtiam ſeruorum. Nam ibi dominorũ quoſdã bonos vocat, hoc eſt, benignos

Præceptum.

Expoſitio præcepti.

Officij huius partes.

Æquabilitas.

Benignitas.

Liberalitas.

nignos & liberales. Vtranq; hāc officij partem requirit Deus à dominis Hebrçorum, Deut. 15.12. & sequentibus. Coniungit cum prçcepto officij, prohibitionem minarum, & sub minarū nomine rigoris cuiuscunq; generis, vt iniustorū mādatorū, defraudationis mercedis, nimiæ seueritatis in puniendo vel reprehendendo. Sed hanc speciē potissimùm prohibuit, vt videtur, quia vt plurimùm domini conspiciūtur irata & torua facie seruis aliquid minitari.

Minarum remissio.

Hæc de præcepto: sequuntur argumenta. Primum argumentum sumptum est à Domino etiam ipsorum, qui in cœlis est. Veteres illi domini, quia putabant nulli reddendam vnquam rationem officij sui erga seruos (nam quod ad magistratus, legibus suis concedebāt dominis ius vitæ & necis in seruos) ideò pro arbitratu iis abutebantur. Verùm Apostolus hoc loco significat esse Dominum ipsorū in cœlis, cui ratio sit reddenda. Secundum argumētum sumptū est à natura cœlestis illius Domini, quod non accipiat personas hominum. Homines potentiores cùm premunt tenues impunè illud ferūt ab iis, qui debebant asserere tenues, quia nimirū excæcātur homines personis hominū, vt potestate, nobilitate, con sāguinitate, diuitiis & cæteris id gen⁹. Atq;

Inductiones ad officium præstandum. Vnus est Dominus Dominorum & seruorum in cœlis.

Apud quem non est personæ respectus: vt somniant minaces & crudeles plerique terrei isti Domini.

hinc fit, vt Deum quoque ipsum summum illum Dominum talem esse somnient. Verùm Apostolus ponit iis ob oculos. Dominum illum nō esse acceptorem personarū, sed iudicātem ex operibus cuiusque (vt loquitur Pet. 1. epist. 1. 17.) vt discāt domini officiū facere erga inferiores, & seruos suos,

Doctrinæ.
1. De Superiorū magistratuum in inferiores diligēti inspectione.

Obs. 1. Domini illius summi & cœlestis, videmus hîc officiū hoc esse, vt exigat rationem eorum quæ Domini terreni fecerunt aduersus seruos suos. Sciant igitur superiores magistratus in terra, ad se pertinere, vt videāt vt rectè fungātur inferiores magistratus officio suo erga eos qui ipsis crediti sunt. Nam hoc ad exemplū summi illius Domini faciendū est. 2. Dominus in cœlis ideo facit officium, quia non est apud eum respectus personarū. Superiores magistratus in terra ideo non faciunt officiū, quia personas hominū respiciunt. Iosaphat 2. Chron. 19. 7. constituens inferiores iudices in ciuitatibus Iudeæ, posuit illis ante oculos Deum ἀπροσωπολήπτην, & non acceptorem munerum. Bene esset cum nostra republica, si id facerent nostri iudices, & Deum ante oculos perpetuò haberent, cuius vices gerunt in terris. Sed etsi non fungantur officio suo, neq; superiores, neq; inferiores Domini, habēt tamē oppressi certam

2. De causis confusionum & tumultuum in mundo.

Oppressorū consolatio.

tam ex hoc loco consolationem: Scientes, inquit, etiam vestrum ipsorum Dominum in cœlis esse. Dominus in cœlis cessantibus hominibus in officio suo nõ tamẽ cessabit, 3. vrget argumentis magis pungẽtibus Dominos ad suum officium, quam antea maritos & parentes, qui etiam cum potestate sunt. In causa videtur esse quia maior est naturæ coniunctio inter virũ & vxorem, inter parentes & liberos, quàm inter Dominum & seruum: ac proinde charitas, quæ est fõs omnium officiorũ, maior est. Obserua igitur vbi minor est naturæ cõiunctio, ac proinde frigidior charitas: ibi opus est stimulo terroris iudicij Dei ad instigãdos homines ad officium. Et certè non magis opus est seruis & subditis timore Dominorum suorum, quàm dominis timore Domini sui, qui in cœlis est, qui cùm abest, iusto Dei iudicio fit, vt serui & subditi non timeant ipsos: Imò verò sæpe incutiatur Dominis & magistratibus deterior timor, nempe, subditorum suorum. Non enim caret periculo cùm coguntur metuere sibi à subditis suis. 4. Ethnici etiam Philosophi eandem æquitatem dominis præcipiunt, sed quo argumento mouent animos? Nempe, vtilitatis, quam percipient ipsi Domini. Hoc vtile erit (inquiunt) ipsis Dominis,

3. De terrore iudicij Dei ipsis Dominis incutiendo: quemadmodum ipsi volunt à seruis & subditis suis timeri.

4. De discrimine obseruãdo inter philosophicas & Diuinas ad officiũ præstandum exhortationes.

& toti familiæ. Sed Paulus hoc loco altiùs eos subuehit ad cõtemplationem Domini in cœlis. Ethnici non mouebãtur ad officium nisi argumentis iis quæ hũnc mundũ & inferiora sapiunt, nempe, vtilitatis, honestatis, & iustitiæ quadam specie. Idem quoque contingit simulatis Christianis. Debent autem veri Christiani, qui sciunt illum Dominum suũ in cœlis esse (vt cum Apostolo loquar,) & qui in cœlis hęreditatem expectant, altiùs oculos attollere ad cœlos, & commoueri amore & timore cælestis illius Domini.

10 *Quod superest, fratres mei, corroboremini per Dominum & forte ipsius robur.*

11 *Induite vniuersam illam armaturam Dei, vt poßitis stare aduersus insidias diaboli.*

12 *Quoniã non est nobis lucta aduersus sanguinem & carnẽ, sed aduersus imperia, aduersus potestates, aduersus mundi Dominos rectores tenebrarum seculi huius, aduersus spirituales malitias quæ sunt in sublimi.*

II. Secunda pars capitis continens, ad omnes generale quoddã præceptum de tota illa Dei armatura induenda.

13 *Propterea assumite vniuersam illam armaturam Dei, vt poßitis resistere tempore aduerso, & omnibus confectis stare.*

Quod superest fratres mei corroboremini. Concludens hanc partẽ Epistolæ de præceptis, omnibus communiter subiicit generale istud præceptum, tanquam omniũ supe-

ſuperiorum fundamentum, & armat Dei robore ac armatura Epheſios ad præſtanda illa, quæ antehac commendauit, officia: *corroboremini*, inquit. Quia verò non fuit penes illos iſta corroboratio ſui, ideo non requirit abiis vt corroborentur ſua vi, ſed Domini: Corroboremini, inquit, *per Dominum*. Quid autẽ ſit corroborari per Dominum, ipſe exponit verbis ſequentibus: Eſt nimirum corroborari per *forte robur Domini*. Quid rurſus hoc ſit, declarat familiari allegoria: Eſt induere totã illã armaturam Dei: *Induite*, inquit. *Vniuerſam illam armaturam Dei*. Locutio hæc ſumpta eſt à re militari. Milites deſcenſuri in prælium induunt ſe priùs armatura, neque induunt ſe aliqua duntaxat parte armaturæ, galea tantùm, thorace tantùm, ſed tota armatura: Ita, inquit ille, Induite totam illam armaturam Dei. Sed in quem finem? vt poſſitis, inquit, ſtare aduerſus non apertã vim: nam hîc minus eſſet periculi: ſed aduerſus occultas inſidias Diaboli: hoc eſt, aduerſus Diabolum hoſtem callidum & vafrum. Sũma igitur præcepti eſt, Corroboremini per robur Domini, vel Induite vniuerſam ipſius armaturam, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.

Id autem variis loquendi formis explicat.

Primaria illa autẽ ſumpta eſt à re militari.

In quem finẽ.

Summa præcepti.

Quoniam non eſt. Argumentum admoni-

Argumētū & ratio eiuſdē. tionis eſt à genere luctæ & pugnæ: cuius ſenſus eſt: Quoniam, inquit, non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinē, hoc eſt homines, qui natura fragili ſunt: ſed aduerſus ſpiritus, qui natura ſunt non fragili, ſed firma: non caduca, ſed æterna, nō enim illi, vt caro & ſanguis, reſoluuntur vnquam in puluerem. Obſeruandum eſt autem eum hoc loquendi genere non excludere omnino carnem & ſanguinē: nam lucta nobis eſt etiam aduerſus homines, etiā aduerſus noſmetipſos: ſed comparatione facta cum illis ſpiritibus, nihili facere carnē & ſanguinē, loquíq; de hominibus, quaſi nullo numero eſſent, quaſique non ſit nobis aduerſus ipſos lucta.

Ab aduerſariorū conſideratione: quæ à comparatis ſupra in mediū proponitur.

Aduerſariorū iſtorū deſcriptio.

Deſcribūtur autē hîc magnificè & ſublimiter ſpiritus iſti aduerſarij, partim à potētia, partim à malitia, partim denique à loco in quo ſunt. Quod ad potentiam, appellātur imperia, poteſtates, mundi domini. Quid autem hoc poſtremū ſit, exponit ſequētibus verbis, dum vocat Dominos tenebrarum huius ſeculi, hoc eſt, filiorum tenebrarum & infidelitatis, in quibus regnum obtinēt hi ſpiritus. Cauſa cur imperium his tribuatur hæc eſt, quia ſemper, quantū in ſe eſt potenter aduerſus homines & Deū feruntur. Id enim vnū agunt, vt homines perdant, & Deum ignominia affi-

1. A potentia. Sunt enim Imperia. Poteſtates. Mundi domini.

Vnde illud imperium.

fficiant. Sciendum autem eſt hanc poten iam non eſſe ab ipſis ſpiritibus, ſed à Deo ui laxat iis habenas, ad opus prouidentiæ uæ per ipſos adminiſtrandum. Quòd ad nalitiam appellantur ſpirituales malitiæ: Cauſa eſt, quia, quãtum in ſe eſt, malitiosè eruntur in Deũ, & in homines. Porro malitia hæc non fuit ex natura ipſorũ prima, ex ex defectione. Quòd ad locum, tribuitur iis locus in cœleſtibus. Non hic intelligendum eſt ipſum cœlum, ſed aëris regio, n qua Deus collocauit aduerſarios hos ſpiritus. De loco autẽ non cũrioſi ſumus. Deſignare videtur Apoſtolus locũ è quo poſſint commodè nos petere, cuiuſmodi eſt locus ſuperior. Hæc de genere luctæ.

Et hæc potẽtia.

2. A malitia.

3. A loco, de quo curioſè haud inquirendum.

Sciẽdum autem eſt eum tam terribilem nobis pugnam & luctam adumbrare, non ut nos terreat, & cõſternat: ſed vt magis animet & excitet ad nos ipſos corroborãdos & induendũ vniuerſam illam armaturam Dei: vnde ex hac lucta tanquam argumẽto ſtatim concludit inſtitutã hortationẽ. Propterea aſſumite vniuerſam illam armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, hoc eſt, die tentationis & inſidiarum, & omnibus confectis, hoc eſt, toto prælio iam cõfecto, ſtare, & victoriam ab hoſtibus reportare. Duo hîc cõiunguntur, reſiſtere, &

Cur Apoſtolus tam terribilem pugnam & luctam nobis adumbret, nempe vt nos ad fidem & conſtantiam hortetur.

ſtare: Nemo enim omnibus confectis ſtat niſi qui reſtiterit priùs, Nemo, inquit Apoſtolus, 2. Timoth. 2. 5. coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Hactenus de præcepto eiúſque argumento.

Doctrinæ. 1. De luctæ & pugnæ chriſtianæ neceſſitate.

Obſ. 1. Hoc præceptum ſubiecit cæteris, vt ſignificet non debere nos ad officia illa ſuperiora præſtanda deſcendere, niſi armatos. Nã de iis faciendis decertandũ eſt neceſſariò. Perſuadeãt igitur hoc ſibi chriſtiani homines, nihil boni ſe facturos vnquã, niſi luctentur, niſi vi extorſerint totũ illud quantumcunque eſt quaſi è manu Diaboli. Quare ſemper in armis ſint neceſſe eſt, ſi ſemper aliquid boni agere velint. 2. Apoſtolus deduxit nos ad fontem ipſum omnium officiorũ, quæ ſupra à nobis poſtulauit. Vnde diſcimus, hunc noſtrum Apoſtolum & alios etiã, dum aliquid officij à nobis requirũt: non id requirere tanquã à nobis, tanquam à potentia, & libertate noſtra, vt dicunt aduerſarij: qui ex huiuſmodi præceptionibus libertatẽ, ſcilicet, arbitrij noſtri ſtatim inferũt: ſed à Dei robore, & potentia. Atq; vt hoc videant homines, ſo'ẽt præmiſſis iam præceptis officij, poſtremo loco fontem ipſum apperire. 3. Dicit non eſſe nobis luctã aduerſus carnẽ & ſanguinẽ. Si hoc cogitarẽt homines, non adeò laborarent in vlciſcendis infirmiſſimorum ho

2. De fonte omnium officiorũ, nempe Dei robore & potentia.

Aduerſ. liberi arbitrij patronos.

3. De hominum cæcitate & Satanæ verſutia.

inum iniuriis. Sed hîc videant astutiam atanæ. Emittit aduersus nos homines tāuam totidē tela eminus proiecta: vt nos ccupatos in iis quasi telis frangendis, ipse ncautos adoriatur interea, & opprimat, nde Apost. supra cap. 4. 26. ita præcipit. ol ne occidat super iracundiā vestrā, neq; ate locū Diabolo. Significās ira, & vindictæ cupiditate, nos exponi tāquam prædā Diabolo. 4. In hac lucta videmus tāquā in peculo vnū hominē infimū, vtpote, carnē & sanguinē, stare in prælio aduersus spiritus qui firmæ & stabilis naturæ sunt, & eos uidem multos & multos illos potentes, & potētes illos malitiosos, & malitiosos illos in superiori loco collocatos. Mirū est num cōtra multos stare: mirū est vnū infirmū aduersus multos potētes, & principes mundi huius consistere: mirum est hūc tare aduersus multos illos etiā malitiosos quibus nihil vnquam misericordiæ expetandū est: mirū est deniq; hūc stare, aduersus illos etiam collocatos in sublimi, quasi n cœlo ipso, vt desuper percutiāt & immineant ceruicibus miseri hominis. Iniquus sanè videtur congressus. Videmus tamen oc loco vnū hunc & infirmū resistere primùm, deinde omnibus cōfectis stare, ac de ostibus suis triūphare. Mira omnia, sed ne

Aduersus iracundos & vindictæ cupidos.

4. De mirabili Christianorum imbecillium & imbellium lucta.

In qua caro & sanguis aduer. Spirituales nequitias, vnus infirmissimus contra multos potentes ex alto pugnantes consistit.

Et non modò resistit, sed etiā stat, vincit & triūphat.

mirare:huic vnus homuncio in se infirmus armatur tamen inuicto Dei robore, quo, si vel infirmissimũ quodq; & abiectissimũ semel armatum fuerit, facilè resistet toti potentiæ huius mundi, & resistẽdo eam superabit. Deus vt ex aliis suis proprietatibus gloriam suam consequitur, iustitia, misericordia, sapientia, &c. ita etiam ex potentia. Sed quando fit vt summam gloriam ex potentia consequatur? Quo maior est infirmitas creaturæ, quam armat sua potentia, eo maior gloria ipsi accedit: Nam quo infirmior est creatura, eo maior apparet potentia ipsius Dei. Dicit enim Dominus, Potentia mea per infirmitatem perficitur. Quo autem maior apparet potentia, eo maior est Dei gloria. Verum igitur illud est, quo maior est infirmitas creaturæ, quam armat Deus sua potentia, eo maior est gloria ipsius Dei. Hoc maximè pertinet ad consolationem nostram. Nam quo tempore sentimus infirmitatem nostram, si interea sentiamus aliquam Dei virtutem in nobis agentem, possumus profectò nobis ipsis polliceri certam victoriam, & per suasum habere Deum nostrum glorificandũ in infirmitate nostra, cũ Deus quo maior est infirmitas creaturæ, eo maiorẽ consequatur gloriã. 5. Hîc videmus primùm nominari

Quia munitus est Dei robore.

In hoc enim Deus glorificatur, quum in humana infirmitate potentia eius perficitur.

Inde maxima ad pios redit consolatio.

5. De malis Angelis, eorum numero & nominibus.

nominari Diabolum quasi vnum, deinde plures spiritus malos. Sic Matt, 25.41. distinguntur Diabolus & angeli ipsius: Sic nominatur huius seculi Deus 2. Cor. 4.4. Et Belial 2. Cor. 6.15. Et Satan tentator κατ' ἐξοχὴν Mat. 4.3. Et Serpens vetus, draco Apoca. 10.3. & sequentibus. Et Luc. 8.30. nominatur legio impurorum spirituum. Ex his colligi posse videtur esse vnum caput, & sub illo vno capite multitudinem malorum spirituum. Siue hoc ita sit reipsa, siue comparatione tantùm Christi & Ecclesiæ ipsius dicatur, vt quemadmodum ecclesia habet suum caput, ita illa multitudo suum quoddam caput habeat & iniquitatis principatum, nihil interest. Vtrumuis enim sit, parum refert scire; modo illud sciamus esse malos illos spiritus omnes coniuratos in salutem nostram.

Quid de iis scire, piorum intersit.

14 *State igitur lumbis circumcinctis veritate & induti thorace iustitiæ.*

15 *Calceatis pedibus præparatione Euangelij pacis.*

16 *Insuper assumpto scuto fidei, quo poßitis omnia iacula mali illius ignita extinguere.*

17 *Galeam etiam salutarem accipite, & gladium spiritualem, hoc est, verbum Dei.*

18 *Omni prece & supplicatione precantes omni tempore per spiritum & illi ipsi rei*

inuigilantes cum omni perseuerantia & supplicatione pro omnibus sanctis.

19 *Et pro me, ut mihi detur sermo ad apertionem oris mei cum libertate ut notum faciam mysterium Euangelij.*

20 *Cuius causa legatione fungor in catena, ut, inquam, de eo liberè loquar sicut oportet me loqui.*

A generali exhortatione, de induẽda Dei panoplia.

State igitur lumbis. Hactenus generalis fuit exhortatio, vt coroborentur per forte robur Domini: vel quod idem est, Induant vniuersam illam armaturã Dei, vt possint stare aduersus insidias Diaboli: fuit etiam argumentum exhortationis à natura luctę: ex argumento conclusit assumendam esse vniuersam illam armaturã Dei, vt possint resistere tempore aduerso, & omnibus cõfectis stare. Nunc particulatim hortatur, vt assumant sibi singulas partes illius armaturæ. Quoniã igitur partes spiritualis armaturæ tractantur comparatione partiũ carnalis siue corporalis: ideò primùm numerabimus partes armaturæ carnalis ad maiorem spiritualium partium illustrationem. Partes igitur armaturæ carnalis sex fuerunt antiquitus: eas mutuatur Apostolus ad illustrationem propositi sui. Prima erat *Balteus*, hoc est bullatum cingulum, quo integebatur commissura thoracis &

Transit ad speciale, singulas illius armaturæ partes proponens.

Quæ à collatione carnalis panopliæ sex numerantur.

1. Balteus.

ζώματος inde demiſſi ad genua, quo armabantur femora. Secunda, *Thorax* à pectore ad vmbilicũ protẽſus. Tertia *Ocreæ*, quibus integebãtur tibiæ à genibus ad pedes &, ſi volebant, etiam pedes ipſi. Quarta, *Galea*, qua tegebatur caput. Quinta, *Scutum* in ſiniſtra manu. Sexta, *Gladius* in dextera. Ex his partibus quinque primæ inſeruiebant muniendo corpori ipſius militis, ſexta & vltima nempe, Gladius ad reſiſtendum & inuadẽdum viciſſim hoſtẽ pertinebat. Atque hæc de partibus armaturæ carnalis. His reſpondent ſex partes armaturæ ſpiritualis Prima, *Veritas* reſpondens Balteo. Secunda, *Iuſtitia* reſpondens Thoraci. Tertia, *Præparatio euãgelij pacis* reſpõdens Ocreis vel Calceis. Quarta, *Salus* reſpondens Galeę. Quinta, *Fides* reſpondens Scuto. Sexta, *Verbum Dei* reſpondens Gladio.

2. Thorax. 3 Ocreæ. 4. Galea. 5. Scutum. 6. Gladius.

His reſpondent, 1. Veritas. 2. Iuſtitia. 3. Præparatio euangelij pacis. 4. Salus. 5. Fides. 6. Verbum Dei.

Nunc tractabimus ſingulas partes ſpiritualis armaturæ, in iiſque tractandis hunc ordinem ſeruabimus. Primùm videbimus quæ ſit vnaquęque pars. Deinde conſiderabimus quid habeat ſimile & commune cum vnaquaque parte corporalis armaturæ. Poſtremo, quem vſum habeat vnaquæque in ſpirituali hac militia.

Methodus in harum partium tractatione.

Prima igitur pars ſpiritualis armaturæ eſt *Veritas*, Videamus primùm quid ea ſit:

1. Prima pars ſpiritualis armaturæ, ſeu piorum Balteus, Veritas,

deinde quam comparationem habeat cum parte carnalis armaturæ: tertiò, quem vsũ habeat in spirituali militia, Sic igitur inuestigamus quid sit, Paulus 1. Timoth. 1. 18. 19. Præcipit Timotheo, vt secundum Prophetias de ipso prægressas militet bonam militiam, retinens fidem & bonã conscientiam. Quo loco commendans Timotheo hanc militiã, armat eum bona conscientia. Hanc cap. 3. 9. appellat puram cõscientiam, quam igitur hîc vocat veritaté, illic in eodem argumento militiæ, bonam conscientiam nominat. Bonam conscientiam definio, & quidem paulò rudiùs, eã quam quis habet, cum conscius sibi est nõ malefactorum, sed benè rectèque factorũ in vocatione quisque sua. Huius sensum quendam habuit Paulus, cùm iniquis iudiciis Corinthiorũ oppressus, diceret: Imò meipsum nõ diiudico, nullius enim rei mihi sum conscius. 1. Cor. 4. 3. Igitur hoc loco veritatis nomine intelligimus bonam & puram cõsciẽtiam. Nunc videamus quam comparationem habeat cum balteo militis. Balteus militis præcipuũ ornamẽtum militis erat, quo integebat commissuram thoracis & zomatis, simul & medium ac lumbos decorabat. Sic non est aliud maius ornamẽtum christiani militis quàm bona conscientia. Nam

Quid sit nempe bona conscientia.

Huius definitio.

Comparatio cum balteo militis.

Hic est militis ornamentum.

Nam mala conſcientia ita hominẽ defor- Illa Chriſtiani.
mat, vt ea cinctus non audeat, ſi modò non
ſit prorſus impudẽs, & frontẽ, quod aiunt,
perfricuerit, in lucẽ prodire ſed fugiat cum
Dei tum hominum conſpectum. Exemplo Teſte Adamo, ſi malam conſciẽtiam ſpectes.
eſt Adam, qui poſt defectionẽ à Deo, ma-
lè ſibi conſcius fugit cõſpectum Dei, & in
ter folia arborum delituit. Adeo illum pu-
duit malæ conſcientiæ ſuæ. Quemadmo-
dum, inquam, mala conſcientia ita vt dixi,
dedecorat hominem: Ita bona conſcientia
ſic eum cohoneſtat, vt audeat ea fretus in
lucem prodire, & offerre ſe cõſpectui Dei,
& hominum: non extimeſcat tribunal Dei
non metuat hominum iudicia. Mihi, in- Et Paulo Apoſtolo ſi bonã.
quit, Paulus. 1. Corinth. 4. 3. hac conſcien-
tia fretus, pro minimo eſt quod ab homi-
nibus iudicer, aut ab humano iudicio. Ha-
ctenus comparatio. Poſtremò eſt vſus hu- Vſus huius baltei ſpiritualis.
ius partis armaturæ in Chriſtiana militia.
Nihil grauius dici poteſt aduerſus homi-
nem fidelem & integrum, quam ſi obiicias
immeritò, malè geſtum officium. Reme-
dium verò aduerſus hanc tentationem eſt,
teſtimonium bonæ conſcientiæ, Paulus, vt Exemplum in inuicto milite.
vides 1. ad Corinthios 4. pro nihilo habi-
tus in officio Apoſtolico, & contemptus à
Corinthiis præ Pſeudoapoſtolis, huc con-
fugit. Nullius rei, inquit, mihi ſum cõſcius,

Idem Apoſtolus, vt eſt 2.Corinth.1.12.accuſatus à Corinthiis incõſtantiæ, quod nõ venerit ad ipſos, ſicut pollicitus erat, huc tandem confugit. Hæc eſt gloriatio mea, nempe, teſtimonium bonę conſcientię noſtræ, quòd cum omni ſimplicitate & ſinceritate verſatus ſum in mundo, potiſſimum autem apud vos. Hæc de prima parte ſpiritualis armaturæ.

Secũda pars, ſeu piorum thorax, Iuſtitia.

Secũda eſt Iuſtitia, quæ reſpõdet militis thoraci. In qua explicanda ſeruabimus eum ordinem, quem propoſuimus. Iuſtitiam igitur intelligo non eam, quam nobis imputatam fide apprehẽdimus, hoc eſt, Chriſti iuſtitiam, ſed inhærentem in nobis ipſis intelligo: eã ſcilicet de qua 1.Ioan.3.7. Qui exercet iuſtitiã, hoc eſt, bona opera, iuſtus eſt. Iuſtitiam igitur eam intelligimus, quæ poſita eſt in operibus regenerationis. Hãc comparat Thoraci hoc loco. Sic Eſai.59.17. Iuſtitia Domini comparatur loricæ: Et Iobi.29 14. comparatur veſtimẽto. Iuſtitiam, inquit, induebã, & induebat me Dominus, hoc eſt, honorabam Dominum vita integrè trãſacta, & Dominus honorabat me apud alios. Similitudo autem hæc eſt: Thorax reddit pectus tutũ, ac munitum ab ictibus aduerſarij: Sic iuſtitia armatus, tutus eſt chriſtianus miles à iaculis Diaboli, & firmus

In nobis inhærens.

Comparatio Iuſtitiæ Chriſtiani cum thorace militis.

mus stat aduersus ipsius impetum omnem. Hanc firmitatem exprimit Dauid Psalmo 112.3. Iustitia eius, inquit, de iustè loquens, permanet in æternum. Sic Prouerb. 10. 25. dicitur iusto fundationem esse perpetuam. Quod ad vsum huius partis armaturæ in spirituali militia: eum docuit Christus illa parabola prudentis, qui fundauit domum suam super petram: Qui audit, inquit, sermones meos, & facit eos (Iustus autem est in faciēdo) hunc assimilabo viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petra. Pluuia descendit, flumina venerunt, venti flauerunt, & inciderunt in domum illam, stetit autem & nō cecidit, quia fundata erat super petra: Ita etiam stabit iustus. Incidentibus in eum pluuia, fluminibus, & ventis tentationum, omnia illa tamen, imò portæ inferorum non præualebunt aduersus eum. Scimus hoc omnes, non esse grauiorem aliā hac tentatione, quia Diabolus sollicitat nos ad vocandum in dubium electionem, & vocationem nostram, Petrus 2. epist, 1.10. huic opponit iustitiam nostram in operibus, quæ sicuti profecta sunt ab electione & vocatione, ita tanquam testimonia quædam, ea ipsa nobis confirmant. Studete, inquit, electionem vestram firmā facere, nempe, per opera quæ testabun-

Vsus huis thoracis spiritualis.

Inuicta perseuerantia aduersus tentationes.

Et Diaboli in electionē & vocationē nostram insurgentis impetum.

tur vobis, vos electos esse & vocatos. Atq; hæc de secunda parte spiritualis armaturę.

3. Tertia pars seu piorum Ocreæ præparatio Euangelij pacis.

Sequitur tertia, in qua explicanda propositum ordinem sequemur. Tertiam vocat *præparationem Euangelij pacis*. Præparatio igitur Euangelij est, Euangelium ipsum quod cùm semel intelleximus, parati sumus ad ingrediendum periculosum huius vitæ cursum. Quo sensu Dauid dixit, Ps. 119. 105. Lucerna pedibus meis, Domine, verbum tuum, & lumen semitis meis.

Quid sit Euangeliũ pacis.

Vocat euangelium pacis, hoc est, reconciliationis cum Deo, vt alio loco sermo reconciliationis ab Apostolo dicitur.

Comparatio huius præparationis cum Ocreis seu calceis militaribus.

Similitudo autem cũ calceis hæc est. Calcei sunt comparati ad iter aliquod ingrediendum, est enim hîc eorum vsus, etiam calceatus miles, paratus est ad ingrediendum prælium: Sic Christianus miles cognito Euangelio, siue læto illo núcio reconciliationis suæ cum Deo, paratus est ad iter huius vitæ periculosissimum, instratum & obsitum spinis tentationum innumeris, cõficiendum.

Vsus horum calceorum spiritualium.

Vsus postremo huius partis in spirituali militia hic est. Multæ sunt tentationum spinæ, quocũque nos vertimus, via parum tuta est. Satan mille peccandi occasiones foris obiicit. Remedium est, cognitũ ac intellectũ Euangeliũ, quod est Lucerna pedibus nostris, & lumẽ semitis.

femitis, vt ait Propheta. Nam Euangelij cognitione quasi parati & accincti ad iter, inter tot spinas tutò ambulare possumus. Hactenus fuit tertia pars armaturæ spiritualis.

Sequitur quarta, nempe, *Fides*, quæ respondet Scuto. Fidem intelligo nõ tam instrumentum ipsum quo Christum & iustitiam ipsius apprehendimus, quam Christũ ipsum cum sua iustitia fide apprehensum. Similis est fides scuto. Quemadmodum enim scuto excipiuntur ictus & tela hostiũ, & excepta retunduntur & repelluntur: Ita fide excipiuntur ignita Diaboli tela, & excepta extinguuntur. Interpretandæ sunt hoc loco duæ voces. Prima vox est (igniti) Vocat enim *ignita* Diaboli tela: hoc plus est quàm si dixisset acuta: maior enim quędam vis est in igni. Vocãtur autem ignita ab effecto, quod immissa in corda hominũ affectus cordium inflamment quasi igni. Secunda vox est, extinguendi: (dicit enim extingui ignita hęc tela) hoc plus est quàm si dixisset retũdi aut repelli. Respõdet verò naturæ telorum ignitorũ: quod enim ignitum est, id extingui dicitur, vt quod acutũ est, retundi. Hæc igitur est comparatio. Postremũ est, vt videamus vsum huius partis in spirituali militia. Postquã tentationibus

4. Quarta pars, seu piorum scutum, fides.

Comparatio fidei cum scuto.

Vbi occurrunt obseruanda, ignita diaboli tela.

Quæ fide extinguuntur.

Vsus huius scuti spiritualis.

Diaboli superiores tres partes armaturæ obiectæ sunt eo, quo diximus, modo: Diabolus instaurato rursus prælio noua tela cō torquet, quæ si non excipiantur scuto fidei, neq; Balteus veritatis, neque Thorax iustitiæ, neque Præparatio euangelij ea poterūt sustinere. Prima igitur tētatio est aduersus bonā conscientiā. Opera imperfectè bona conscientiā bonā efficere nō possunt: Tua sunt eiusmodi: ergo conscientiam bonā efficere non possunt. Huic tentationi nisi opponas Scutum fidei, Diabolus certò præualebit. Sic igitur responde: Opera imperfectè bona, si in sese tantùm cōsiderentur, sine fide, non efficiunt, fateor, bonā consciētiam: quia quod imperfectum est, consciētiam prorsus purā nō efficit. Sin verò opera illa cum fide accipias, quæ tegit defectū ipsorū operum, quamque inter nostra opera & Deū mediam interponimus: tum quidem bonam conscientiam efficiunt etiam opera nostra alioqui imperfecta. Secunda tentatio est aduersus iustitiā bonorū operum. Opera imperfecta non placent Deo: Opera tua sunt imperfecta: ergo nō placēt Deo. Huic tētationi necessariò opponēda est fides. Sic igitur responde. Opera imperfecta nō placēt Deo quidē, vt sola accipiūtur: sin verò cū fide accipiātur, placēt. Nā

Primum Diaboli telum, de imperfectione operū.

Quomodo extinguitur.

Secundum telum adu. perfectionem operum.

Quomodo extinguitur.

peccata

peccata & defectus in nobis reliqui, propter imputatam Christi satisfactionē nobis condonātur,& per fidē placet Deo noua obedientia. Tertia tentatio est aduersus præparationem euangelij pacis. Cognitio euangelij illius non statim id efficiet, vt illæsus ambules inter tot tentationū spinas. Multi intelligūt quidē euangeliū qui tamē in tota vita offendūt. Respōde, te ita intelligere Euāgelium, vt etiam credas, neq; id in genere tantùm, sed multò magis in specie. Vides igitur Scuto fidei excipi ea tela quæ tres illæ priores partes armaturæ propulsare nō possunt : vt nō immeritò dictū sit ab Ioann. 1. Epi. 5. 4. Hæc est victoria quę vicit mundū, nēpe, fides nostra. Adeò nihil sunt omnia, quę in nobis sunt, quantumuis bona, nisi Scuto fidei muniātur, quæ sola iustificat nos corā Deo, & iustificatos seruat.

Tertium telum, adu. Euangelij efficaciam.

Quomodo extinguitur.

Quinta pars armaturæ est Salus, respōdens Galeæ. Eam igitur ordine proposito persequemur. Salutem intelligo spem salutis vt 1. The 5. 8. Induti, inquit, pro Galea spe salutis. Spes salutis comparatur galeæ: quia quemadmodū cū Galea caput militis est armatū, tū audet attollere caput suū etiā inter medios hostes, & ictibus ipsū obiicere: sic cū spe salutis tectū est quasi caput militis christiani, in mediis tentationibus,

5. Quinta pars, seu piorum Galea. Salus, seu salutis spes.

Comparatio spei salutis cum Galea.

& afflictionibus, ipsum erigit ac in cœlos suspiciens constanter expectat promissam illam salu e.Paul. Rom.8.19. cùm loquitur de spe rerum omnium creatarum, ait, eas exertis capitibus expectare reuelationem filiorum Dei: quo loco videmus spem esse causam cur res creatæ capita sua erigāt. Sic nos dicimus spem esse caussam hoc loco, quæ facit vt erigat caput suum Christianus miles in mediis tentationibus, nō secus ac si ea spe tanquam Galea caput armaretur.

Vsus huius galeæ spiritualis.

Vsus huius partis in spirituali militia hic est, Pij, inquit Satā, grauissimis afflictionibus subiecti sunt, adeo vt nō videātur Deo esse curæ, cui quidem tentationi obiiciēda est spes illa emergēdi tādē ex omnibus afflictionibus, & salutē consequēdi. quę profectò si nō adsit, nō potest fieri, quin succūbamus: si autem ea adsit sub spe gloriamur etiam in afflictionibus ait Apost. Rom. 5. 2. Hactenus de iis armaturæ spiritualis partibus quæ valēt ad nos ipsos defendendos.

6. Sexta pars armaturæ Spiritualis, seu piorum gladius, nempe verbum Dei.

Sequitur postrema pars cuius vsus est in petēdo & inuadēdo hostem, nēpe, verbum Dei, quod respondet militis gladio. Prosequamur igitur eam partē instituto ordine.

Comparatio verbi Dei cū gladio.

Verbum Dei intelligo Legē & Euāgeliū, quæ sunt verbi diuini partes: comparatur cum gladio quia veluti gladio ferimus hostem

hostem, Ita Dei sermo, ait author ad Hebræos 4.12. viuus est & efficax & penetrantior quouis gladio ancipiti, ac pertingit ad diuisionem vsque animæ simul & spiritus, compagum & medullarum, & diiudicat cogitationes & conceptiones cordis. Paulus hoc verbũ, manu fidei tenens & vibrans quasi aduersus hostes, plus quàm gladium esse expertus est. 2. Cor. 10.5. Euertimus, inquit, ratiocinationes & sublimitatem omnem quæ se attollit aduersus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo. dicã verbo: Dei verbum efficax est ad interficiendos semel omnes Diabolos, omnes etiam homines: vel inquam, homines ipsos, corpora simul & animas: vel in ipsis hominibus naturæ istam prauitatem. Vsus autem huius partis demonstrari potest exemplo ipsius Christi qui in illa tentatione quæ est Matth. 4.1. & sequentibus, semel atque iterum gladio verbi percutiens tentatorem, neque adhuc planè superans eum, tandem ita percussit vt planè vinceret. Abi Satana, inquit, scriptum est enim, Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Mirum est hoc: Victus est Satan, qui voluit inducere Christum ad adorandum creaturam. Non vincuntur hodierno die, qui docent

Gladiatoris insignis exemplum.

Aliud exemplum, in omnium militũ spiritualium summo duce seu Rege.

Superstitiosorum peruicacia percussa, non concussa.

adorãdos Angelos & Sãctos demortuos An id sit, quia maior est istorũ quàm illius pertinacia & impudẽtia in resistẽdo manifestę veritati. Huius partis armaturę vsũ quoq; habes in tẽtatione Euæ, quo tẽpore tentaret eã Diabolus in serpente, sed manu fidei non satis firma gladiũ illum verbi tenuit: quem extorsit ipsi Diabolus: non credidit verbo Dei, ideoq; cessit Diabolo. Illud enim certũ est: Nisi ipse credas verbo illi quod stringis aduersus Satanã, Satanas illud de manu tua statim erepturus est. Hactenus de sex illis partibus spiritualis armaturæ.

Exemplum oppositum in Eua, quæ non rectè vsa est illo spirituali gladio.

Quoniam autem quæ est nostra infirmitas, omnes hæ spiritualis armaturæ partes, imperfectæ sunt: pura conscientia mista est impuritate: iustitia iniustitia: cognitione Euangelij nõ satis præparamur: fides est cum infidelitate coniuncta: spes cum desperatione: Verbum denique non satis firma fidei manu prehẽsum tenetur. Quoniam, inquã, hæ omnes partes imperfectæ sunt, opus habet spiritualis miles nouo subinde auxilio Dei, quod nõ impetratur nisi precibus. Ideò iam postremò præcipitur vt Ephesij inter pugnãdum cum hoste, precibus assiduè agant cum Deo. In hac petitione tria sunt: Primum est, vt omni prece precentur. Secundum est vt omni tempo-

Cur spirituali huic armaturę auxilium Dei precibus impetrãdum addit Apostolus.

Tria autem requirit.

re precentur. Tertium est vt per spiritum precẽtur. Quod igitur ad primum attinet: Paul.1. Timoth .2.1. plenè recenset precationis species, nẽpe, deprecationes malorum, petitiones bonorum; intercessiones pro aliis, gratiarum actiones. Verùm hîc eas intelligo species quæ nos ipsos respiciũt: deprecationes malorũ, ne scilicet inducamur in tẽtationem: Petitiones bonorum, nempe, vt Deus sustentet nos in tentatione: Gratiarum actiones, quibus vicissim grati sumus Deo. Quod ad secundum: Quemadmodum perpetua nobis lucta est: (quando enim nobis induciæ pactæ fuerãt cum Satana?) ita omni cum perseuerãtia, vt loquitur postea, debent esse preces nostræ. Quod ad postremum. Etsi illud Pauli verũ sit: Nos, quod precemur, nescire: Spiritum autem Dei interpellare pro nobis gemitib. inenarrabilibus: tamen hoc loco non tam intelligo spiritum ipsum Dei, quàm internum cordis affectum spiritu tamen sancto regeneratum: Nempe, illud cor quod expressit capite superiore, v.19. cùm diceret, Canẽtes & psallentes in corde vestro Domino, Hactenus de textu.

1. Vt omni prece precentur; quæ quadruplex alio loco cõstituitur

2. Vt omni tẽpore precentur.

3. Vt per spiritum precẽtur

Obs. 1. Etsi sit quidẽ similitudo inter armaturam spiritualẽ & carnale, tamen alioqui magna est dissimilitudo. Quò melius

Doctrinæ.
1. De dissimilitudine spiritualis & carnalis armaturæ.

armatus est quis his armis carnalibus, eò minus eum adoritur hostis, vt dici solet vulgò, arma pacem portẽdunt. Contrà verò quo melius armatus est quis armis spiritualibus, eò magis adoritur eum hostis.

Exemplum, seu simile appositum in hanc rem.

Vt enim familiari exemplo vtar, Si quis inermis sine fuste incidat in canem, illi ferè non oblatrat. Sin verò cum fuste quis det cani obuiam, ferè insultat in eum, imaginatus fustem esse comparatum ad se verberandum. Ita res habet cum Diabolo. Si quis inermis illi occurrat, nihil eum molestat, persuasus hominẽ iam esse suum. Sin verò armatus occurrat, statim aggreditur hominem, existimans totum illum apparatum esse aduersus se comparatum, neque profectò fallitur opinione. Quid igitur?

De Apostoli consilio.

An monet Apostolus vt induamus ea armo, quæ hostem non compescant, sed prouocent magis? Resp. Melius esse aduersus Diabolũ pugnare, quàm pacem cũ eo colere. Alterum enim horũ necessarium est: aut pugnandum nobis est cum eo, aut ineunda est cum eo gratia. Nullum esse inter hæc extrema medium sciant homines, qui putant licere sibi viuere securos & Dei & Diaboli. 2. Nulla arma video hoc loco tributa esse Diabolo præter insidias: armat autem Ephesios armis, quibus apertè &

2. De ratione pugnandi spiritualibus ar-

honestè pugnatur. Obserua igitur Christiano militi non esse resistendum insidiis per insidias, fraudi per fraudem, mendacio per mendacium: sed insidiis resistendū esse per apertum martem: fraudi per candidā & sincerā agendi rationē, mēdacio per veritatem. Obuius fit tibi Diabolus vt Angelus lucis, scilicet adblandiēs: Tu rursusne ficto vultu eum excipito, sed ex animo & seriò, quicquid facis, facito. 3. Post hortationem ad arma, hortatur ad preces assiduas. Hinc discimus infirmitatem nostrā in hac lucta, quæ tanta est, vt, nisi Deus subinde nobis suppeditet nouas vires, succūberemus necessariò, & nisi gratiā gratiæ continuò accumularet, quamdiu sumus in hac lucta, & in hac vita: præberemus statim Diabolo vinctas manus. Ergo sensus infirmitatis nostræ impellit nos ad assiduas preces. Hîc mihi vide rursus: Precibus nostris glorificatur Deus. Ergo Deus optimus artifex infirmitatem nostram vertit in suam gloriam: Cui sit omnis gloria, Amen.

mis à Christianis obseruanda.

3. De precum in pugna Christiana necessitate & fructu.

Et Illi. 1. Petr. 5. 8. habes hæc verba. Nam aduersarius vester Diabolus tanquam leo rugiens obambulat, quærens quem deuoret: Cui resistite firmi per fidem, scientes easdem afflictiones à vestra, quæ in mundo est, fraternitate impleri. Quibus postremis

De Charitatis fraternæ officio precū respectu pro omnib. sanctis.

verbis significat afflictiones & tentationes Satanæ nō esse vnius alicuius proprias, sed omniū quicunque piè volūt viuere in Christo Iesu Hoc cùm consideraret Paulus hoc loco, nō tantùm hortatus est vt precentur assiduè pro seipsis, & durent in hac lucta, sed etiā pro fratribus. Verùm huius rei paulò altius causam inquiram. Sine fide nemo potest rectè precari. Nā quicquid sine fide est, peccatū est. Iā verò fides à charitate separari nō potest. 1. Ioan. 4. 2. Si quis dixerit diligo Deum, & oderit fratrem suum, mēdax est. Hinc collige vt nō citra fidē Ita nō citra dilectionē fratrū posse nos rectè precari Quare si tāgamur fratrū dilectione, vt nostri ipsorū dilectio mouet nos ad orādū pro nobis ipsis, Ita moueat nos fratrū dilectio ad orandum pro fratribus. Hæc cùm consideraret Paulus, hortatus est ad preces pro fratrib. concipiendas: sed hoc ordine seruato: hortatur primùm vt precentur pro omnibus sanctis in genere, deinde hortatur vt precentur pro se in specie.

Ratio huius præcepti Apostolici.

Ordo.

Pro Ecclesia, in genere.

Videamus igitur primùm primam partem hortationis, in qua sunt tria distinguenda ad faciliorem eorum quæ dicuntur cognitionem. Primò requirit vigilantiam in precibus. Secūdò requirit omnem perseuerantiam. Tertiò requirit vt preces hæ

Pro Apostolo, speciatim Huius ordinis Ecclesiæ respectu partes.

pro omnibus ſanctis concipiantur. Quòd ad primum 1. Pet. 4.7. dicitur, Eſtote ſobrij & vigilantes ad orandum: Quibus verbis diſci poteſt vigilantiam eſſe quaſi affectionem quandam, qua aptus afficitur quis & benè præparatus ad preces. Quanquam hîc vigilantiam non excludo eam, quæ eſt corporis & externorum ſenſuum, quam etiam Chriſtus paulò antè quàm proderetur à Iuda, præcepit diſcipulis Matth. 26.40.41. reprehendens eos grauiter, cùm inueniret non vigilantes. Vigilate, inquit: & orate. Tamen propriè vigilantiam intelligo eam quæ eſt animi excitati à lethali illa ſecuritate: iuxta illud quod dictum eſt ſuperiori cap. 14. Excitare qui dormis & ſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus. Nihil ferè in Euangelio præcipitur ſæpius, quàm vt vigilemus, vbi vigilantiæ ferè adiungi ſolet & altera virtus, quam ſobrietatem vocant. Sobrij eſtote, inquit, & vigilate. nam quemadmodū ebrietas inducit ſomnium & torporem: Ita ſobrietas præparatos reddit ad vigilias & excubias quaſi agendas. Sobrietati & vigilantiæ additur orationis & precum effectum. Eſtote, inquit, ſobrij & vigilātes ad orandum. Quare (hoc enim præterea eſt quod hinc diſcimus) ſobrij ſimus vt vigilemus, vigilemus vt oremus.

1. Vigilantia. Animi.

Corporis & externorum ſenſuum.

Quàm ſit neceſſaria, prę- cipuè verè illa ſpiritualis, Epicureorum ſecuritati oppoſita

2. Perſeuerantia, qua nihil eſt Deo accèptius.

Secundum in hac prima parte hortationis eſt, vt cum omni perſeuerātia precentur. Nihil eſt Deo gratiùs perſeuerantia precibus. vt hanc obtineat, primùm, vt videtur nobis, differt exaudire preces nostras, vt nos nimirū pergamus quaſi ipſum precib. fatigare, vt habet parabola viduæ, & iniuſti iudicis Luc. 18.1. & ſequentibus: quāquam id quidem verū eſt, nos ipſos fatigari aſſiduis noſtris precibus, nō Deum.

Ideo vult precibus noſtris quaſi fatigari,

Stimulos indigentiæ addit.

Hoc igitur primū eſt, quod facit Deus: deinde addit nobis ſtimulum indigentiæ vt eum magis & magis ſentientes magis magiſq; precemur. Nā verum eſt illud, nos, ſi non exſtimulemur ſenſu indigētiæ noſtræ, nunquā ad Deum confugituros. dicā quod fortaſſe mirum alicui videri poteſt; hominem in ſumma omniū rerum, quæ ad hanc vitam tolerandā pertinent, abundantia, in ſumma tamē penuria eſſe: nam non poteſt vel vna bucella frui ſine Dei gratia. Quoties enim participat illa copia, niſi toties benedicat Deus illi portioni quam ſumit, quicquid ſumit noxiū eſt, & perniciosum. Adeò vt illud veriſſimum ſit, opus habere hominem etiam omni copia abūdantem, vt quoties panem ſumit, precetur toties illud Chriſti, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Nam non eſt ille panis,

In ſumma rerum abundātia multiplici egeſtate nos præmi patitur

quē etiā habet apud se reconditū, panis ipsius proprius, nisi Deus priùs ei benedicat in gratiā ipsius qui sumit eū. Sed vt omittā nostrā ipsorū indigentiā, quæ nos ad assiduas preces impellat, circūfer oculos, & intuere fratres, an vllū temporis punctū reperias quo non videas ipsorū penuriā, vel in corporalibus, vel in spiritualibus rebus, vt planè ferreo sis animo, nisi omni tempore saltem pro fratribus preceris. Quare meritò cum omniperseuerantia monet Apost. orandum pro omnibus sanctis.

Et fratrum nostrorum penuriam nobis ob oculos ponit, vt pro iis etiam precemur.

Tertium est in hac prima parte exhortationis, orandum esse pro omnibus sanctis. Paulus 1. Timoth. 2. 1. præcipit in genere precandum pro quibusuis, rationem addit, quia Deus vult omnes seruari, & ad cognitionem veritatis venire. Huius iterum ratio est, quia vnus est Deus omnium, & vnus Mediator, qui sese obtulit pretium redemptionis pro quibusuis. Generalis ista præceptio, nempe, pro omnibus orandum esse adeò vera est, vt moneat Christus Mat. 5. 44. Orandum etiam pro iis, pro quibus minimè omnium videtur orandum esse. Precamini, inquit, pro iis qui vos infestant & persequuntur. Paruit huic Christi mandato Stephanus, qui Act. 7. 60. orauit pro persecutoribus suis: Domine, inquiens, ne

3. Charitas erga omnes sanctos.

A Deo vno adoptatos in vno Mediatore Christo.

Qui Christus id facere nos iubet.

Et exemplo suo, & aliorū nobis præiuit

ſtatuas iis hoc peccatum. 1. Ioan. 5. 16. peccantes ad mortem ab hoc generali præcepto excipit, pro quibus dicit non eſſe orandum: Quod verum quidem eſt tũ, cum eorum peccatum manifeſtatum eſt, vel diuino teſtimonio, vel manifeſtis argumentis, vel ipſorum peccantium confeſſione. Ante hanc manifeſtationẽ, pro iis orandum quidem eſt, ſed addita hac conditione, ſi curabiles ſint, & Deus conſtituerit ipſorum conuerſionem ac ſalutem in æterno ſuo conſilio. Cùm igitur pro omnibus orandum ſit, tum imprimis pro ſanctis orandũ eſt. Nam vt in aliis omnibus officiis præſtandis, ita in precibus maxima eorum cura eſſe debet qui ſunt domeſtici fidei. Itaque Apoſtolus hoc loco hortatur vt precentur pro ſanctis omnibus, nominatim ſanctos commẽdans precibus noſtris. Hactenus hæc tria, quib. explicata eſt prima pars hortationis.

Pro quibus non ſit orandum.

Pro quibus præcipuè orandum.

Sequitur altera pars hortationis, vt orẽt pro ipſo Apoſtolo 1. Cor. 9. 12. habet hanc ſententiam. Si alij ſui in vos iuris participes ſunt, cur non potius nos, (de miniſtris verbi loquitur.) Ex quibus verbis illud manifeſtum eſt, obligatos eſſe nos imprimis ad officium faciendum erga miniſtros verbi, qui tanquam duces in prima acie tentationum collocati ſunt, ac propterea maxi-

Altera pars hortationis vt orẽt pro ipſo Apoſtolo.

mè omnium precibus egent, tum ipsorum, tum nostri causa. In hac igitur parte explicanda, textum in aliquot capita distribuemus, vt nimirum sententiā verborum melius ponderemus. Primum habemus orandum pro Apostolo. Deinde quid precandum. Tertiò in quem finem, nempe, vt notum faciat mysterium Euangelij. Quartò, habemus huius finis rationem, quia pro Euangelio legatione fungitur. Quinto, post rationem finem superiorem repetit.

Huius hortationis partes quinque.

Hæc sigillatim expendamus, & primùm quòd primo occurrit. *Et pro me*, inquit. Deus ita digessit & cōiunxit inter se omnia mēbra humani corporis, vt nullū ex omnibus sit tā infirmū, tā abiectū, quod nō sit necessariū & accōmodatū vsibus nobilissimi cuiusq; mēbri. Vnde Paul. 1. Cor. 12 21. Nō potest, inquit, oculus manui dicere, nō est mihi opus te, neq; caput pedib. nō est mihi opus vobis: nā infirmissima quæq; mēbra necessaria sunt in corpore humano. Ita res habet suo quodam modo in corpore illo mystico Christi, in quo nullū est membrū tam vile, tam infirmū, quod nō sit vsui vel præcipuis quibusq; membris huius corporis mystici. Hoc cùm consideraret Paulus, quo quidē sub capite ipso Christo, nō fuit aliud membrum nobilius, hortatur Ephesios, se longè

1. Orandum pro Apostolo

Ratio.

Confirmatio per similitudinem.

Similitudinis explicatio.

inferiores gratia & donis in communi illo corpore, vt pro se tamen orent. *Et pro me*, inquit, *orate*. Hactenus fuit primum.

2. Quid orare debeant. Vt Deus aperiat os Apostoli.

Secundum est, quid precari debeant, *Vt detur*, inquit, *mihi sermo*, hoc est, vt Deus indat ori meo sermonē suū: Quemadmodum in Ieremia dicitur cap. 19. Postquā Deus attigit os prophetæ, (dixit) indo ori tuo verba mea. Sed qualis est hic sermo? nō pressus ille, qui semeclufo ore profertur, sed qui dumerumpit, aperit ac dilatat os, summa libertate sua. Libertatem siue παῤῥησίαν definio eam virtutē qua quātum locus, tēpus, & necessitas postulant, liberè quis & intrepidè veritatē profitetur. De hac loquitur Apost. 2. Timoth. 1. 7. Nō dedit nobis Deus spiritū timiditatis sed roboris. Libertatem appellat spiritum roboris, quē opponit spiritui timiditatis, qui est cum metu periculorum, quis non liberè veritatē profitetur. verum enim est hoc, cum periculis & afflictionibus cōiunctā esse hanc libertatē. Nam si ego, inquit, Apostolus, ad Galatas 5. 11. circūcisionē etiā prędico, quid amplius persecutionē patior? Nempe, abolitum esset crucis offendiculum. Ergo quia liberè loquebatur de Christo, persecutionem passus est, à qua immunes erant Pseudoapostoli, qui non sunt vsi ea libertate. Hactenus fuit se-

Cum libertate.

Quæ in Spiritu roboris consistit.

Et cùm afflictionibus cōiuncta est: teste ipsomet Apostolo.

cundum ex iis quæ propoſuimus.

Tertium eſt finis huius libertatis,vt notum faciat myſterium Euangelij. Paulus Col.4.3.eundem finem libertatis ſubiecit. Precantes ſimul etiam pro nobis,vt Deus aperiat nobis oſtiū ſermonis,vt loquamur myſteriū Chriſti,propter quod etiā ſum in vinculis.Sed quid hoc ſit poſtea videbimus

3. Finis huius libertatis,nēpe vt Apoſtolus notum faciat myſteriū Euangelij.

Quartum ex illis propoſitis eſt ratio huius finis ab officio & legatione ſua,qua pro euangelio fungitur (pro quo,inquit,legatione fungor in catena.)Mirum hoc eſt. Aliorum regum legati funguntur legatione apud exteros reges in ſummo honore ac libertate, legatus ſummi regis Chriſti legatione fungitur in catena. Sed hic vide viciſſim aliud diſcrimen,Si quando illud vſu venit, vt contra ius gentium violentur ab exteris legati regum terreſtrium,ſi quando coniiciantur in vincula,os ipſis ſimul cum reliquo corpore vinculis illis cōſtringitur, neque libertas ampliusconceditur exponēdi quod in mandatishabent.Sed Chriſti legatus Paulus legatione fungitur in catena, & vinctus etiā Chriſtū prædicat,quod diſertè expreſſit 2.Timo.2. 9.In quo,ſcilicet Euangelio, velut facinoroſus affligor vſq; ad vincula,ſed ſermo Dei non eſt vinctus.

4 Huius finis ratio, ab officio & legatione ſibi commiſſa.

Et quidem in catena. Vbi obſeruandū diſcrimen legatorum mūdanorum & cæleſtis Regis.

Poſtremū eorum quæ propoſuimus eſt,

5. Finis illius

Lucidior repetitio. finis ille post rationem repetitus, & paulò maiori cum claritate subiectus. Nam notum facere mysterium Euangelij & de eo loqui liberè, vt oportet, idem sunt reipsa.

Quomodo de Euangelio sit loquendũ. Obseruandum est quod dicit, *Vt oportet*: loquendum enim est de Euangelio quantum locus, tempus, & necessitas postulant: neque, vt inquit Christus, obiiciendæ sunt margaritæ porcis. Si prudentia in alio quouis, & maximè in ministro verbi requirẽda est. Neque existimãdũ est hanc libertatem esse inconsultam quandam temeritatem.

Doctrinæ. Hactenus explicata sunt hæc quinque ex quibus manifesta est secunda pars hortationis: nunc quædam obseruanda sunt.

1. De particularium precũ pro tota Ecclesia fructu. Hortatur Ephesios, nempe, particularem quandam Ecclesiam, vt precentur pro omnibus sanctis, hoc est Ecclesia vniuersali. Ergo particularis Ecclesiæ preces conducunt vniuersali, imò verò vnius iusti preces prosunt toti Ecclesiæ. Multum valet deprecatio iusti efficax. Iacob. 5. 16. Non immeritò igitur tota aliqua Ecclesia desiderat & deflet vnum virum pium & iustum decedentem è viuis. Nam vnus aliquis pius, pluris est quàm alij centum.

2. De vno Mediatore christo. 2. Augustinus certo quodã loco sic loquitur, homines, inquit, Christiani inuicem se commendant orationibus suis: pro quo autem nullus inter-

pellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verusque Mediator est. Paulus autem vt ex hoc loco & aliis multis videre potes, vt Rõ.15.30.2.Cor.1.11.1.Thes.5.25. Hortatur Ecclesias vt orent pro se. Ergo Paulus non agnouit se dum in viuis ageret mediatorem. Quod si nondum in viuis esset, neque etiam nunc vita hac defunctus agnoscit.

Aduersus errorem de pluribus mediatoribus.

3. Videri potest Paulum dubitare de perseuerantia sua. Respon. Qui persequitur media acquirendæ rei alicuius, quæ Deus in verbo non mandauit, is dubitat: Qui verò media illa quæ Deus ipse sequenda præscripsit in verbo suo, adhibet, is non dubitat. Deus aũt præscripsit verbo, vt requiramus alij aliorũ preces pro nobis mutuas. Hinc disce: Nihil labefactare certitudinẽ fidei, media quæ à Deo ipso mandata sunt. Imò verò iuuare. Nam idẽ Deus qui iubet credere, iubet quoque his mediis vti. Quare quò magis vtimur mediis quæ sunt ex voluntate Dei, eò magis confirmatur fides nostra.

3. De vsu mediorum, quæ certitudinem fidei non labefactant, sed confirmant.

4. Nota, contrà quam fieri solet in aulis principum, (vbi familiares tantùm & viri principes intercedunt pro reliquo populo apud principes.) Vulgus Christianorum intercedere pro Paulo, quo nõ fuit maior sub capite Christo. Nemo igitur existimet se adeò firmum, adeò familiarem Deo, vt pu-

4. De necessitate mutuarũ precum.

Pro eximiis Dei seruis infirmiora Ec-

clesiæ mēbra orare possunt & debent.

tet se non egere precibus etiam infirmissimi cuiusque in Ecclesia membri. Neque rursus eo putet se magis alienum a Deo, quod opus sit ipsi precibus aliorum, quin potiùs credat hoc ipso se magis à Deo diligi, cùm Deus pro ipso nō tātum suas ipsius preces, verumetiam aliorum Christianorum exaudit. Est enim hoc magni amoris argumentum.

5. De summis ministrorum Ecclesiæ votis

5: Hortatur Paulus, vt in gratiam ipsius petant libertatem sermonis ad prædicādum Euangelium Christi. Ergo vt muneri suo inseruire possit, vnusquisque nostrum tam per se quàm per alios debetà Deo petere gratiam illā qua id faciat. Paulus in catena non hortatur Ephesios, vt pro se intercedant, vt liberetur è catena, sed vt detur ipsi sermonis libertas, vt fungatur etiam munere suo in catena, Alij, si aliquod impedimentum interuenerit, quo minus progrediantur in officio, statim cessant in officio, ac putant se iam immunes esse: Sed exemplo Pauli videmus, nitendum esse aduersus impedimēta omnia, vt in officio simus. Præsertim autem hoc faciendum est ministris Euangelij, qui non in catena, non pertracti ad supplicium, non alligati palo, non in igne ipso, dum licet, vel voce, vel gestu, testari de veritate Euangelij, desistere ab officio debent.

Quid Apostoli exemplum ministros verbi doceat.

21 Vt

21 *Vt autē sciatis etiā vos id quod apud me geri-*
tur, & quid agā, omnia vobis nota faciet Tychi-
cus charus frater & fidus minister in Domino.
22 *Quē misi ad vos ob id ipsum vt cognoscatis*
res nostras & consoletur corda vestra.

Vt autem sciatis. Hæc est cap. pars tertia, Epistolæ autē sexta, in qua, quia breui hac Epistola satis comprehendi non poterant res suæ priuatæ, neque eas incertis rumoribus credere volebat, ideo significat se credidisse eas Tychico tabellario coram exponendas: vt autem maiorē fidem faciat ipsius narrationi, ostendit ob eam præsertim causam, à se missum esse Tychicum, vt notas ipsis faceret res suas. Addit & alterā causā, vt consoletur ipsorum corda. In verbis exponendis tantùm videndum est, quinam fuerit hic cuius meminit. Tychicus fuit homo Asianus. Act. 20. 4. Narratur Asianos suos Tychicum & Trophimum comitatos esse Paulum in Asiam. Fuit Romæ vna cum Paulo: tum cùm in vinculis seruaretur. Hūc misit Paulus ad Ephesios cum hac Epistola, vt ex hoc loco manifestū est, & posteriore ad Timot. 4. 12. Porro Tychicū, inquit, misi Ephesū. Misit etiā eū ad Col. cū Epistola illa ad Coloss. perscripta, vt patet ex eadē illa Epistola 4. 7. Non satis habuit eū nudo duntaxat nomine designare, sed vt

Tertia capitis pars, de priuatis rebus Apostoli agens.

Per Tychicū exponendis.

Qui & consolaturus est Ephesios.

Tychicus ille quis fuerit.

Eius elogium.

personæ dignitas fidē faceret testimonio, eum describit primùm ex generali & communi vocatione Christianorū omniū: deinde ex speciali vocatione ministrorum: ministrum eum appellans sed fidelē, neque enim dignus est hoc nomine nisi fidelis. Ad Coloss. 4.7. quo loco describit hunc ipsum Tychicum, appellat eum ministrum & cōseruum in Domino, vt illud clarum euadat, hoc loco eum ministrum vocari, non à priuata aliqua vocatione qua Paulo ministrauit in vinculis, sed à publica vocatione, qua cū Paulo conseruus fuit in Domino.

Homo Christianus. Minister fidelis, & Pauli cō seruus in Domino.

Doctrinæ. De sollicitudine piorum ministrorum Ecclesiæ.

1. Paulus in manu inimicorum, in catena, morti proximus, paucos habens apud se pios, hunc tamen Tychicum ex familiaribus vnum cum Epistola & mandatis mittit Ephesū. Hinc disce, quāta fuerit Paulo sollicitudo de Ecclesiis: quā etiā professus est, 2. Cor. 11.28. Absque iis quæ extrinsecus eueniūt, vrget agmen illud in me quotidie consurgens, id est, sollicitudo de omnibus Ecclesiis. Quis affligitur, quin ego affligar? Quis offenditur, quin ego vrar? Vereor ne sint nimis multi hac nostra ætate, qui si eo loco essent, quo Paulus tum temporis fuit, de se nimis anxiè cogitarēt, audirēntque libenter illud Petri consilium: Propitius tibi sis Domine Math. 16.22. Sed

Dei gloriā & Ecclesiæ ædificationē ferūt semper in oculis.

qui

qui fidelis eſt in domo Dei, exẽplo Chriſti & Pauli, qui non indulſerunt ſibi ipſis, vt Rom. 15.3. de Chriſto ſcribit Apoſtolus: fidelis, inquam, etiam ad ſummum diſcrimẽ adductus, magis de Eccleſia Dei quàm de ſe erit ſollicitus. 2. Paulus etiam priuatas res ſuas curat per Tychicum exponendas Epheſiis. Permagni refert ſcire quid rerum agãt viri magni & principes in Eccleſia. Ideoque Dei cõſilio, Apoſtolorum facta in vſum perpetuum Eccleſiæ conſcripta ſunt, vt habeamus ob oculos tantorum virorum exempla & vitam ipſam priuatam, non modò verba & doctrinam.

2. De vſu exemplorũ quæ in vita magnorum illorum Chriſti ſeruorum occurrũt.

23 *Pax ſit vobis fratribus, & charitas cũ fide à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto.*

24 *Gratia ſit cũ omnibus diligẽtibus Dominũ noſtrũ Ieſũ Chriſtũ ad immortalitatẽ, Amen.*

Pax ſit vobis, Poſtrema pars cap. & Epiſtolæ, qua vt in principio Epiſtolæ, ita etiam in fine omnia bona fidelibus comprecatur. Primum in ſpecie benè optat Epheſiis: Deinde in genere quibuſuis diligentibus Chriſtũ. Quæ optat Epheſiis tria ſunt: Primum eſt, quod reſpicit ipſos Epheſios, nempe pax, & fœlix ſucceſſus rerum quarumcunque. Secũdum eſt, quod reſpicit proximum. Tertium eſt quod reſpicit ipſum Deum, nempe fides in Deum. Hæc

IIII. Poſtrema pars capitis, & totius Epiſtolæ concluſio optatoria.

Tria eis optat.

a Deo Patre, & Christo. tria optat à Deo patre, tanquã primo fonte omniũ bonorũ & à Christo, sine quo nihil demanat à primo fõte ad nos. Quod cõ precatur in genere toti Ecclesiæ, est gratia, & ea quidem, quæ nõ corrũpitur Incorruptibilem hanc gratiã oppono ego Anathemati illi æterno, quod Paulus alibi denunciat aduersus eos, qui non diligunt Dominum nostrum Iesum Christum. Si quis nõ amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit Anathema, Maran-atha. Alterũ ex his nobis propositum est necessariò, vel gratia immortalis, iis nimirum qui diligunt Christũ: vel extremum & æternum Anathema, iis nimirum qui nõ diligũt Christũ.

Gratia incorruptibilis anathemati æterno opposita.

Doctrinæ. De Charitate christianorum [illegible]

Obs. Benè precatur primùm particulari, deinde generali Ecclesiæ. Vide in hoc Pauli exẽplo, vt amore crescat & assurgat progressu quodã facto à paucis ad multos, à certis quibusdã ad vniuersos, dũ Apostolũ impellit, vt primùm pro Ephesiis, deinde pro tota Ecclesia precetur. Optat autẽ hęc bona à Deo authore, & optat ea diligentibus Christum. Dũ igitur benè optat illis, interea non est immemor Christi & gloriæ ipsius; Cui cũ Patre & S.S. omnis honor & gloria in sæculum. Amen.

2. De Gloria Dei cura habenda.

FINIS.

INDEX

INDEX CONTINENS

LOCOS COMMVNES THEOLOgicos, qui hoc commentario indicantur vel breuiter explicantur: admixtis falsorum dogmatum refutationibus.

Numerus paginam denotat.

E

FINIS.

